5. 9. 772

DE

REGULARIUM ET SÆCULARIUM

CLERICORUM

JURIBUS ET OFFICIIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE

5.979

Digitized by Google

APPROBATIO.

Cum in libro cui titulus : *De regularium et sæcularium clericorum juribus et officiis, liber singularis*, auctore Mariano Verhoeven, Archidiœcesis Mechliniensis presbytero, Protonot. Apost., SS. Canonum in Univ. Cath. Lovanien. Prof. Publ. Ord., nihil contineatur contra fidem aut bonos mores, et ejusdem auctor jura tum regularis tum sæcularis cleri æqua lance libraverit, censemus hunc librum ob doctrinæ, quam continet, perspicuitatem et soliditatem, typis mandari et cum magna utilitate a clero legi posse.

Datum Mechliniæ 31a julii 1846.

J. B. PAUWELS, Vic. Gen.

Digitized by Google

DE

REGULARIUM ET SÆCULARIUM

CLERICORUM

JURIBUS ET OFFICIIS,

LIBER SINGULARIS,

AUCTORE

Mariano Verhoeven,

ARCHIDIÆC. MECHLINIEN. PRESB., PROTONATAR. APOST., JUR. UTR. DOCT.,
SS. CAN. IN UNIV. CATH. LOVANIEN. PROF. PUBL. ORD.

LOVANII,
SUMPTIBUS C. J. FONTEYN.

1846

Digitized by Google

PRÆFATIO.

In discutiendis quæstionibus, quæ ad rem canonicam pertinent, crebrius evenire solet, ut scriptori illi, qui doctrinam aliquam, quæ clerum ejusque *praxim* seu in rebus spiritualibus agendi rationem concernit, publici juris facit, varia et diversa vel contraria etiam quandoque a variis lectoribus tribuantur consilia. Quocirca, editurus in lucem dissertationem de certis quibusdam juribus et officiis cleri tam regularis quam sæcularis, necessarium esse duxi in limine hujus opusculi candide patefacere, quæ me ad illud conscribendum causa potissimum impulerit. Nolim enim, ut aliam ab ea quam habeo mentem unus aliquis lector mihi affingat.

Ac primo quidem oportet fatear, dum studiis SS. Canonum ac historiæ ecclesiasticæ operam darem, et disciplinarium Ecclesiæ regularum inquirerem originem, me sæpius mecum reputavisse, controversias regularem inter et sæcularem clerum non ab alia causa frequentius esse exortas, quam vel inde quod nonnulli e regulari clero privilegia legitime sibi concessa latius, quam par esset, extenderent, aut spuria

nonnumquam etiam pro genuinis haberent; vel inde quod vicissim nonnulli viri e sæculari clero quorumdam, quæ habebant regulares, privilegiorum usum justum ac discretum impedire conarentur.

Atqui hujus generis contentiones non raro cum gravi rei sacræ detrimento agitabantur; quemadmodum norunt omnes ii, qui vel obiter tantum sex posteriorum sæculorum historiam perlustrarunt.

Quod si priscæ illæ controversiæ multis incommodis præbuerunt ansam, majus profecto futurum esset rei sacræ damnum, si istiusmodi discordiæ excitarentur in clero hac ætate nostra. Perspectum enim habent hodierni catholicæ Ecclesiæ hostes, firmissimum quoddam ejus propugnaculum esse positum in ea animorum concordia, qua sacratissimæ Religionis ministri omnes arctissimo veluti vinculo inter se conjunguntur. Quare, ut alia machinantur, ita et contendunt, ut, si quo modo fieri possit, illam animorum consensionem dissolvant, aut certe labefactent.

Quæ quum ita sint, nemo profecto est quin videat, quantopere curandum sit, ne ullus inter varios sacræ Religionis ministros dissensionis fomes oriatur, ex quo vaferrimi hostes nostri utilitatem aliquam capere possent.

Itaque operæ pretium, imo rem utrique clero gratissimam me facturum esse existimavi, si quæstiones nonnullas de re canonica præcipuas discuterem, quæ serius ocius causæ dissensionis esse possent. Hanc discussionem præsertim his temporibus utilem esse duxi, quum, postquam per decem fere lustra diris

vexationibus in his regionibus fuerat agitata Ecclesia, hodie, et Deo favente ab aliquibus jam annis, ita comparatæ sint Civitatis nostræ leges, ut Ecclesia in usum pristini sui juris divini sit restituta, atque adeo datum sit ecclesiasticæ auctoritati spectatissimum regularem clerum pro Ecclesiæ utilitate in sua jura restituere.

Hinc enim fit, ut regularium numerus in dies accrescat; atque ideo fieri posse putavi, ut de certis juribus et officiis contentiones in clero exorirentur, et eo quidem facilius, quod juris canonici disciplina in his regionibus ob peculiaria rerum adjuncta per aliquod temporis spatium minus fuit exculta.

Dissensionis igitur causa quominus oriatur, ego pro meis viribus impedire volo, estque hic unicus totius scriptionis meæ finis.

Hæc satis ad causæ meæ vindicias dicta sint. Quod attinet ad rationem, quam in tractandis quæstionibus secutus sum, primo quidem ad amussim sequi volui auream Ciceronis regulam, quam cuivis scriptori proponit : *Ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri dicere non audeat, ne qua suscipio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis* (1); deinde maximam in eo curam posui, ut quæstiones, quas discutiendas esse duxi, e Summorum Pontificum constitutionibus, Conciliorum, inprimis vero Tridentinæ synodi decretis, vel tandem ex dicasteriorum Romanæ Curiæ sententiis, quoad ejus fieri posset, solverem. Hoc ubi præ-

(1) *De Oratore*, II.

Digitized by Google

stare potui, supervacaneum fuisset in eamdem rem Pragmaticorum sententias insuper allegare.

Recentissimas constitutiones et decreta sedulo indagare debui, isque profecto labor fuit non ita facilis; quare minime mirum mihi videretur, si in tanta tamque varia ac multiplici rerum serie quandoque fuissem allucinatus et dormitassem. Sed id mihi, quæso, indulgeat lector benevolus, et imperitiæ meæ detur et ignorantiæ; nam illud confidens assevero, nihil eorum quæ ad rem facerent scienter a me esse prætermissum, nihil neglectum.

Verumtamen nemo mihi jure ac merito succensebit, quod ignoraverim, si qua forte essent rescripta Pontificia vel privilegia, quæ numquam divulgata sunt, et adhuc latent in scriniis illorum, in quorum causam data fuerunt; horum profecto ignorantiam nemo mihi culpæ vertet. Si quid affirmassem aut negassem, quod cum peculiaribus illius generis rescriptis aut privilegiis pugnet, eos, qui istiusmodi rescriptorum notitiam habent, oro, ea mihi indicare velint, ut, data occasione opportuna, quod prætermissum esset, adjicere, quod erratum, corrigere possim.

CAPUT I.

DE RELIGIOSIS ORDINIBUS IN ECCLESIA, ET DE EPISCOPORUM IN RELIGIOSOS ORDINES POTESTATE, A PRIMIS ECCLESIÆ SÆCULIS USQUE AD CONCILIUM TRIDENTINUM.

Antequam de cleri regularis hodierno jure ædificandi monasteria et ecclesias, et sacra munera exercendi verba faciamus, juvabit pauca quædam præmittere de antiqua Ecclesiæ disciplina, qua regebantur monachorum et regularium ordines, antequam jus novissimum, quod vocant, a Concilio Tridentino Summisque Pontificibus, œcumenicæ huic synodo ætate posterioribus, sanciretur; eo quidem fine, ut hac ratione constet, jus, quo in hoc rerum genere hodie utimur, non novum esse aut recenter introductum, sed in remotissima etiam antiquitate fere idem reperiri. Ut autem in hanc rem de pristina Ecclesiæ disciplina luculenter disseramus, inprimis indagare præstat non tantum originem religiosorum ordinum, sed etiam scopum seu finem, ob quem religiosi ordines in Ecclesia constituti sunt.

§ I.

De origine religiosorum ordinum.

I. *Scriptores ecclesiastici non conveniunt in origine religiosorum ordinum indicanda.*

II. *Ut ea recte præfiniatur, attendi debet notio status christianæ perfectionis et status religiosi.*

Digitized by Google

III. *Status religiosus latiori significatione, a Christo Domino, strictiori sensu acceptus, ab Ecclesia institutus est.*

IV. *Verus et perfectus status religiosus ante quartum æræ christianæ sæculum institutus non invenitur.*

V. *Melioris notæ historiographi in id conveniunt.*

VI. *Refellitur illorum opinio, qui originem religiosorum ordinum tribuunt persecutionibus, prioribus Ecclesiæ sæculis, in christianos excitatis.*

I.

Quam varias et diversas de origine monasticæ vitæ et religiosorum ordinum scriptores ecclesiastici foverint opiniones, perspectum habuerit ille, qui, vel mediocriter archæologiæ sacræ cupidus, paucos dumtaxat de antiquitate christiana libros inspexerit. Alii enim in Veteri Testamento monasticæ vitæ non tantum adumbrationes seu prototypa, sed et vera exordia inveniri existimarunt, et Eliam principem monachorum, atque Nazaræos et Rechabitas et Prophetarum filios Veteris Testamenti monachos fuisse docuerunt. Alii S. Joannem Baptistam monachorum antesignanum et institutorem fuisse voluerunt. Alii Christum Dominum non tantum monachorum, sed et canonicorum regularium auctorem venerantur. Alii Petrum et Paulum, alii S. Marcum hujus vitæ generis proclamant institutores; alii monachorum originem ab *Ascetis* repetunt (1). Alii vero, et communiori quidem sententia, religiosorum ordinum initia referunt ad tempora Diocletianæ vel Decianæ persecutionis.

(1) Cfr. NEBRIDIUS A MUNDELHEIM, *Antiquarium monasticum*, epist. I et II, Viennæ Austriæ, 1650; MELEGARUS, *Apostolici clericalis canonicorum ordinis instituta et progressus*, col. I et seq., edit. Venet., 1648. Ubi inter alia refert, Joannem Gersonium, Cancellarium Parisiensem recte docuisse, *Apostolos fuisse canonicos regulares sub abbate Christo, et Judam a Domino triplici honore fuisse decoratum; fuit enim*, inquit, *illius procurator, commensalis et canonicus regularis.* DAUDE, *Majestas hierarchiæ ecclesiasticæ*, part. II, cap. I, edit. Bambergæ, 1760.

His temporibus, aiunt illi, persecutione per universum Romanum imperium fervente, multi christiani tormenta metuentes, et in conspectu atrocissimarum pœnarum de viribus suis ad profitendam fidem diffidentes, in solitudines se receperunt, ut ibi tutum a vexationibus refugium invenirent, ac liberius pietati et christianæ vitæ perfectioni vacare possent; quæ vitæ ratio nonnullis eorum adeo fuit jucunda, ut cessante persecutione in cellulis, quas in solitudine sibi ædificaverant, permanere mallent, quam ad pristina domicilia reverti. Unde factum est, ut homines, qui initio singuli hanc vitam agebant, postea in societatem coaluerint, et sensim ad certas regulas vitam suam conformaverint (1).

II.

Ad decernendum, quid in hac opinionum discrepantia de origine religiosorum ordinum sentiendum sit, pauca videntur præmonenda *de statu christianæ perfectionis et de statu religioso*. Constat enim finem seu scopum omnium religiosorum ordinum in Ecclesia semper fuisse, ut homines, qui hoc vitæ genus amplecterentur, ad christianam perfectionem tenderent.

Status christianæ perfectionis est conditio sive vitæ institutum, quo homo et ad sui perfectionem et ad vitam æternam tendit per alia media quam solam observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, ad quæ media amplectenda vel voto vel juramento vel alia ratione voluntatem suam obstringit.

Ad hunc statum igitur requiritur : 1° ut modus ille vivendi sit firmus et stabilis, 2° ut qui eum profitetur, tendat ad perfectionem, 3° ut aliquam habeat obligationem in hoc vitæ genere permanendi. Media autem perfectio-

(1) Selvagius, *Institutiones canonicæ*, tom. II, tit. 31, num. 2, edit. Neapoli, 1839.

Digitized by Google

nem obtinendi sunt præter mandata Dei et Ecclesiæ observantia consiliorum, quæ Christus Dominus in Evangelio tradidit, præsertim ubi consilium dedit servandi castitatem his verbis: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum; qui potest capere, capiat* (1). Quibus verbis, ut notat Maldonatus (2), Christus voluit homines ad castitatem et cœlibis vitæ perfectionem quasi proposito præmio cohortari. Paupertatis consilium dedit, quando dixit : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo* (3). In quæ verba idem interpres apprime hæc scribit : « Cum de præceptis loquitur, non dicit, si vis perfectus esse, serva mandata, sed *si vis ad vitam ingredi;* cum vero de consilio, non dicit, si vis ad vitam ingredi, sed *si vis perfectus esse.* Præterea mandatorum observationi tamquam præmium proponit vitam æternam, *si vis,* inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata;* observationi vero consiliorum non vitam æternam, sed *thesaurum in cœlo,* id est, vitæ æternæ majores divitias pollicetur (4). » Etiam ad commendationem ejus obedientiæ, quæ inter evangelicæ legis consilia censetur, hæc verba passim referuntur : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (5).

Status iste *perfectionis* dicitur, non ideo quidem, quod consilia perfectiora sint præceptis divinis, sed quod præcepta Dei simul et consilia in eo observentur; consiliorum enim et præceptorum observatio nobilior et perfectior est sola præceptorum observatione (6).

Attamen non est necesse ad perfectionis christianæ statum, ut quis consilia evangelica omnino omnia obser-

(1) Matth. xix, 12.
(2) *Commentaria in quatuor Evangelistas,* in Matth. xix, 12.
(3) Matth. xix, 21.
(4) *Oper. cit.* in Matth. xix, 21.
(5) Luc. ix, 23.
(6) Hallier, *Defensio ecclesiasticæ hierarchiæ*, lib. IV, cap. 8, § 2, num. 14, edit. Parisiis, 1632.

vet, quia diversis exercitiis perfectio potest acquiri; et is qui operatur ad aliquem finem assequendum, non debet adhibere omnia media quæ eo conducere *possint*, sed ea dumtaxat, quæ prudenter judicat esse illi fini consequendo accommodata.

Status *religiosus*, secundum communem Ecclesiæ usum et strictiori sensu acceptus, est perfectus status Monachorum seu Regularium, qui Deo se consecrant, et emisso voto se obstringunt perpetuo servandi tria præcipua consilia evangelica : paupertatis, castitatis et obedientiæ. Comprehendit itaque omnes ordines, sive Monachorum sive Regularium. Si latiori sensu accipitur, comprehendit omnes vivendi modos, quibus homines voluntarie se offerunt divino cultui et obsequio, et ad unum vel aliud ex evangelicis consiliis observandum se obligant (1).

III.

Hæc si probe considerentur, facile patet, statum religiosum, latiori significatione acceptum, omni modo cum statu christianæ perfectionis convenire; ac propterea, si de ejusdem origine quæritur, dici debet, Christum Dominum, qui certo certius statum christianæ perfectionis instituit, illum etiam statum instituisse. Sin vero strictiori sensu accipiatur, et habeatur pro statu sive ordine ab Ecclesia vel nomine Ecclesiæ approbato, in quo fideles christianam perfectionem acquirere conantur, et editis votis paupertatis, castitatis et obedientiæ, secundum præscriptas regulas in communitate stabiliter vivunt, dicendum est, statum istum a Christo Domino non esse institutum, nisi quatenus ipse homines exhortatus est, ut consilia evangelica observarent, et se ad eadem perpetuo servanda voto obstringerent. Cætera autem, quæ ad hunc

(1) Suarez, *De Religione*, part. II, lib. II, cap. 1, num. 1, edit. Lugduni, 1624.

Digitized by Google

statum sive ad ordinem religiosum pertinent, ab Ecclesia ordinata vel saltem approbata sunt, et ab ipsius moderamine pendent. Non enim Christus Dominus præfinivit, ut fideles consilia evangelica observarent, vitam communem agendo potius quam particularem aut solitariam; neque præscripsit, quænam exercitia et officia, quasve peculiares regulas sequi deberent, ut finem suum pertingerent; sed hæc omnia Ecclesiæ ordinanda reliquit.

Status igitur sive ordo, in quo ii, qui voluntarie eum amplectuntur, tria consilia prædicta observare debent vi voti, atque secundum certam regulam et per præfinita quædam sacra exercitia officiaque ad christianæ vitæ perfectionem tendere, ab Ecclesia institutus est.

Quod ut manifestius appareat, animadverti debet, observantiam trium consiliorum evangelicorum non constituere ordinem religiosum; sed insuper requiri, ut alia observentur media, quibus ad perfectionem christianam perveniri possit. Jam vero hujusmodi media præscribere non est hominis privati; si enim cuilibet fas esset media præfinire, quæ cum consiliis evangelicis essent observanda, facile contingeret, ut religiosorum ordinum institutioni admiscerentur errores, quibus fideles deciperentur, et ut præscriberetur vivendi modus, qui perfectioni christianæ contrarius esset, aut saltem non accommodatus (1). Unde pro legitima religiosi ordinis institutione necesse est, ut judicio competentis auctoritatis ecclesiasticæ constet, media illa christianæ perfectioni accommodata esse et opportuna.

IV.

Ex his jam effici potest, quid sentiendum sit de illis ecclesiasticorum scriptorum opinionibus, quas initio hujus § referebamus, et juxta quas origo status religiosi vel

(1) Cfr. Suarez, *Oper. cit.* lib. II, cap. 13, num. 14.

ab Elia aut Nazaræis aut Rechabitis aut filiis Prophetarum Veteris Testamenti, vel a Joanne Baptista, vel ab ipso Christo Domino aut Apostolis repeti debeat. Revera quidem in Apostolis, in Christo Domino, in Joanne Baptista, in Elia aliisque Prophetis verissimum exemplar invenitur virtutum, quas religiosi viri colunt; sed hoc non sufficit ad inde repetendam ipsam religiosi status originem et institutionem. Nam virtutum consilia et exempla Salvatoris nostri, Apostolorum et Prophetarum non tantum monachis et regularibus, sed aliis etiam fidelibus ad imitandum proposita sunt. Ut itaque originem perfecti religiosi status inveniamus, necesse est præterea reperire regulam aliquo modo ab Ecclesia approbatam, vivendi communionem, peculiares quasdam sacras exercitationes et officia (1); quæ omnia nos quidem ante quartum æræ christianæ sæculum non reperimus.

Non ideo tamen certum et prorsus indubitatum habemus, ante hanc epocham statum istum non jam in Ecclesia extitisse. Nam sedulo notari debet, ecclesiastica monumenta priorum Ecclesiæ temporum pleraque periisse, partim impio mandato Diocletiani imperatoris, qui christiana tabularia flammis tradi jussit, partim vero temporum injuria. Præterea certum est, multos christianos primis Ecclesiæ temporibus evangelicam vitæ formam amplexos fuisse, et consilia, quæ Christus Dominus in Evangelio tradidit, observasse. S. Lucas enim de quibusdam Christi fidelibus loquens jam referebat: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum dicebat, sed erant iis omnia communia* (2). Et procul dubio omnino ponendum est, inter discipulos Christi et Christi fideles, qui ingenti multitudine per ipsos ad fidem fuerunt conversi, multos fuisse, qui perfectiorem vitam amplexi, non tantum præ-

(1) Selvagius, *Antiquitatum christianarum institutiones*, lib. I, part. 2, cap. 13, § 2, edit. Patavii, 1776.
(2) Act. II, 45, et IV, 32.

cepta, sed et consilia Salvatoris nostri observare studuerunt. Neque ea vana hypothesis est; ab ipsis enim nascentis Ecclesiæ temporibus fideles tam viros quam feminas fuisse, qui durius ac severius quoddam vitæ genus profitebantur, seque in piis christianarum virtutum officiis et Sacrarum Scripturarum meditationibus exercebant, quique *Ascetæ* vel *Ascetriæ* dicebantur, et veterum scriptorum testimonia ostendunt, et comprobant recentiores rerum ecclesiasticarum scriptores. Atque ex eorumdem scriptorum sententia indubium est, ab ipsis christiani nominis exordiis in Ecclesia Dei fuisse sacrarum virginum institutionem, quæ virginitatem sanctiorisque vitæ studium profitebantur (1). Cum vero de hac aliave, perfectioris etiam, vitæ professione non ea tradita reperiamus, quæ ad verum et perfectum religionis statum requiruntur, saltem dicendum est, ex authenticis et indubitatis documentis non constare, ante quartum Ecclesiæ sæculum statum istum exstitisse.

V.

Scriptores, qui antiqua ecclesiasticæ historiæ monumenta severiori judicio ad artis criticæ regulas expendunt, monastici ordinis initia unanimi fere consensu collocant post restitutam a Constantino Magno Ecclesiæ pacem; ita quidem ut alii currente vel exeunte sæculo quarto, alii vero initio sæculi quinti illius exordia præfiniant. Communiori tamen sententia ea ad S. Paulum Eremitam et S. Antonium Abbatem referunt : « Quorum exemplis, ait Holstenius (2), duo genera Monachorum informantur, alterum Eremitarum, seorsim sine arbitrio degentium, Cœnobitarum alterum, in domo communi

(1) Antonellus, *Opera S. Jacobi Episcopi Nisibeni. Dissertatio de Ascetis*, cap. 1 et 2, edit. Romæ, 1756.

(2) *Codex Regularum monasticarum et regularium*, tom. I. Præf. col. IX. Edidit Brockie, Augustæ Vindelicorum, 1759.

Digitized by Google

conviventium; et miscebantur in illis principiis hæc duo genera plerumque, ut iidem ex eremo in cœnobium, ac vicissim e vita communi in solitariam transirent; quamquam hæc cum multis experimentis esset deprehensa periculosior, cœpit præ illa cœnobitica celebrari disciplina, præsertim post editam a Pachomio regulam, dictante Angelo acceptam, quam latine Hieronymus transtulit. Ex hoc tempore duo laudabilia distingui genera monachorum cœperunt, solitariorum et communiter viventium. » Atque hoc modo instituta in Ægypto vita monastica, inde in omnes terras salutari propagatione se diffudit (1).

De hac tamen propagatione non agemus, quod ea parum aut nihil ad rem nostram refert. Non enim historiam religiosorum ordinum tradere volumus; sed nobis est propositum tantum de origine monasticæ vitæ inquirere, et paucis verbis exponere, eam non divinæ sed humanæ seu ecclesiasticæ institutionis esse; satis igitur nobis est, ut hoc posterius ex iis quæ diximus inferri queat.—Argumentum autem præcipuum nostrum est, inter omnes constare Christum Dominum non ea ordinasse, quæ ad verum et perfectum religiosum statum vel ordinem requiruntur; atque adeo dici nequit eum esse divinæ institutionis. Idem præterea efficitur ex eo, quod scriptores ecclesiastici unanimi fere consensu docent, statum istum ante quartum æræ christianæ sæculum in Ecclesia non fuisse; et illi etiam, qui altius hujus institutionis exordia repetunt, eam tamen non a divino jure derivant (2).

(1) Qui brevem et luculentam de propagatione religiosorum ordinum historiam consulere cupit, adeat inter cæteros Holstenium, loc. cit.; Alteserra, *Asceticon sive origines rei monasticæ*, lib. I, cap. 2, 3, 4, edit. Halæ, 1782; Daude, loc. sup. cit. Cf. Binterim, *Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der Christ-katholischen Kirche*, dritter Band, zweiter Theil, neuntes Kapitel, § 7. Mainz, 1826.

(2) Eruditissimus Antonellus, loc. cit. cap. 2, § 2, iis scriptoribus, qui opinantur ante quartum sæculum in Ecclesia constitutum esse statum monasticum, observat : « Cum post *Ascetas*.... exortum fuerit monasticum institutum, et in locum Ascetarum Monachi successerint, ad eos etiam, qui exactius et securius quam veteres Ascetæ, melioribusque vivendi legibus

VI.

Quod autem veram hujus originis causam spectat, hoc unum addendum esse opinamur, nos illorum scriptorum opinioni non subscribere, qui docent, religiosi status exordia eo quidem sensu a temporibus persecutionum repetenda esse, ut, si persecutiones istæ non fuissent concitatæ, nec religiosus status fuisset verosimiliter institutus. Hanc, inquam, opinionem non amplectimur; sed status religiosi originem potius manare censemus ex ipsa congenita indole christianæ religionis; quippe quæ homines strenue hortetur et incitet ad perfectionem, quam Christus Dominus commendavit, et ad quam attingendam verus status religiosus medium aptissimum est. Ad perficiendam enim rem arduam toto vitæ tempore, cui corrupta hominis natura continuo resistit, multum juvant certa vitæ norma, certa officia et exercitia huic fini assequendo accommodata; multum juvat, ut in communitate constituti homines, alii aliis exemplis præluceant, et deficientem subinde fratris animum mutua exhortatione ad virtutis studium excitare possint. Unde verius ratiocinari nobis videntur ii, qui originem hanc ex ipsa indole christianæ religionis repetendam esse existimant. Quam in rem peremptorium, nobis quidem judicibus, videtur ar-

atque institutis in christianæ pietatis palæstra se exercebant, nomen Ascetarum traductum est. Itaque in antiquis ecclesiasticorum scriptorum, præsertim Græcorum, libris sæpe reperiuntur Monachi Ascetarum nomine nuncupati, eorumque monasteria Asceteria dicta, quemadmodum e diverso Ascetæ Monachi, seu μονάζοντες et solitarii nuncupati sunt. Id autem in causa fuit, cur plures doctissimi viri lapsi sint, atque in eum errorem inciderint, ut ubicumque Ascetarum nomen sibi occurrerit, ibi Monachos nominatos fuisse existimarent. Atque ita factum est, ut plurimi Ascetas et Monachos, qui maxime inter se differunt, in unum confuderint, et Monachos, priusquam monasticus ordo nasceretur, in Ecclesia fuisse crediderint, et monasticam professionem antiquiorem esse, quam summæ auctoritatis scriptores posteritatis memoriæ tradiderunt, contra apertissima testimonia et validissima argumenta sibi persuaserint. »

gumentum hoc, quod a quarto sæculo usque in tempora hodierna semper in Ecclesia magno numero fuerint religiosi ordines, et quod tum maxime institui et propagari cœperint, cum persecutionibus finis impositus fuit. Unde inferri possit, persecutiones institutionibus hujus generis obstaculum potius quam adjumentum fuisse, et verisimile esse, si per tria priora æræ christianæ sæcula christiani a vexationibus istis fuissent liberi, multo ante etiam religiosos ordines fuisse constitutos.

§ II.

De potestate et jurisdictione Episcoporum in religiosos ordines, seclusis privilegiis et exemptionibus.

I. *Monachi et regulares quoad regularem observantiam Episcoporum jurisdictioni subsunt, nisi ab ea privilegio sint exempti; idque probatur ex indole et fine ecclesiastici regiminis,*

II. *Et ex antiqua Ecclesiæ disciplina; antiquitus enim Episcopi non tantum Regulas monachorum approbabant,*

III. *Verum etiam regularis disciplinæ observantia Episcopis erat commissa. Id quidem palam fit ex canonibus conciliorum,*

IV. *Atque decretis Summorum Pontificum.*

V. *Neque alia fuit sententia S. Thomæ.*

VI. *In iis, quæ ad ecclesiasticam disciplinam et exercitium sacrorum munerum referuntur, religiosi omnes Episcoporum jurisdictioni subjiciuntur, nisi ab eadem vi privilegiorum liberi sint.*

I

In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut singulorum Episcoporum jurisdictioni ac potestati spirituali subessent

fideles omnes, sive clerici sive laici, qui in diœcesi, ipsorum regimini commissa, continerentur, nisi Summus Pontifex vel alia legitima auctoritas ecclesiastica personas aliquas illorum regimini subtraxisset. Itaque, secluso privilegio seu exemptione, palam est, omnes religiosos Episcopis semper fuisse et etiamnum esse subjectos; atque adeo Episcopis munus incumbere et officium illos, quemadmodum cæteros fideles, pascendi et regendi.

Ut autem pateat, quid regimen seu gubernatio Episcopi per se comprehendat, inprimis notare juvat, finem seu scopum universi ecclesiastici regiminis esse spiritualem et supernaturalem, ut scilicet homines aptis mediis ad æternam beatitudinem perducantur; atque ideo in iis omnibus, quæ ad felicitatem istam supernaturalem conducunt, oves omnes Episcopi curæ subjiciuntur. Jam vero modus vivendi religiosorum, sive regularis observantia, est unum ex mediis ad æternam salutem acquirendam accommodatis; unde fit, ut, quoad observantiam istam, Episcopo diœcesano, seclusis privilegiis, sint subjecti. Perspicuum enim est, monachos non per hoc ipsum a jurisdictione Episcopi liberari, quod certa vivendi ratione, quam libere eligunt, ad perfectionem christianam tendant.

Episcopi, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei (1), attendere debent universo gregi, non exceptis monachis aut regularibus; hinc curam de illis gerere et ad salutem illos regere jubentur. At quomodo Episcopi curam istam gerere, eosve regere possunt, nisi invigilando et monendo, ut obligationi, quam, vitam monasticam profitendo, contraxerunt, faciant satis?

II.

Sed hæc quoad regularem disciplinam omnimoda reli-

(1) Act. xx, 28.

Digitized by Google

giosorum subjectio amplius probatur argumentis ex Ecclesiæ traditione petitis. Consulto quidem prætermittimus illa ex antiquitate christiana testimonia, quæ ex prioribus Ecclesiæ sæculis ad Virgines Deo sacratas et Ascetas referuntur, quippe quæ monasticæ vitæ institutionem præcedunt, ac propterea minus ad rem nostram faciunt. Ad alia properamus.

Age vero ex quo tempore ordines monastici in Ecclesia institui et monasteria per varias regiones exstrui cœperunt, Episcoporum curæ ac regimini monachi ita quidem fuerunt subjecti, ut eorum regulæ et constitutiones non nisi ab Episcopis diœcesanis approbarentur (1). Ita Antonii, Pachomii aliorumque priorum monachorum regulæ ab Episcopis dumtaxat Alexandrinis aliisque Ægyptiacis probatæ fuerunt, et ab Episcopis permissum fuit monachis secundum illas vivere.

Certo frustra de his regulis affirmaretur, eas statim ab initio a Summo Pontifice approbatas fuisse, quandoquidem Romæ non innotuerunt nisi per Athanasium et Petrum, Episcopos Alexandrinos, cum persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, Romam confugerant (2). S. Basilius plerisque monachis Orientis regulas tradidit. S. Benedicti regula sola Episcoporum auctoritate multis in locis erat recepta, antequam S. Gregorius Magnus eam laudavisset et approbasset; quam approbationem refert Alteserra (3) ex Baronio, *Annal.* tom. VIII, his verbis : « Ego Gregorius S. R. E. Præsul scripsi vitam beati Benedicti, et legi regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripsit; laudavi eam et confirmavi in sancta synodo, et per diversas partes

(1) Disciplina, juxta quam regulæ et constitutiones religiosorum per Episcopos approbari poterant, usque ad sæculum XIII in Ecclesia viguit. Cfr. *De religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ*, cap. ult. *Ne nimia* (lib. III, tit. 36). *De religiosis domibus, in sexto*, cap. un. *Religionum diversitatem* (lib. III, tit. 17).

(2) S. Hieronymus, *Epist.* CXXVII, *ad Principiam*, num. 5. *Oper.* tom. I, part. 1, edit. Vallarsii, Venetiis, 1756.

(3) *Oper. cit.* lib. I, cap. 18.

Italiæ, et ubicumque latinæ litteræ legerentur, præcepi ut diligentissime observarent quicumque ad conversionis gratiam accessuri essent ad finem mundi. »

Hæc de regularum approbatione ad rem nostram sufficiunt.

III.

Si vero traditio Ecclesiæ consulatur, quomodo religiosi Episcopis essent subjecti in observanda regulari disciplina, patebit quidem, eos hac in re ordinariæ Episcoporum jurisdictioni omnino subfuisse, nisi privilegio ab eadem essent liberi. S. Ambrosius refert (1), monasterium Vercellense sub disciplina fuisse S. Eusebii Episcopi Vercellensis, cujus opera, ex multorum scriptorum sententia, monachorum ordo in Italia primum institutus est. S. Augustinus narrat (2), monasterium Mediolanense, quod eodem fere tempore fundatum est, « plenum bonis fratribus extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore fuisse. » In Africa S. Augustinus monachos non tantum Episcopis, sed et presbyteris curatis subjecit.

Si conciliorum canones et Summorum Pontificum decreta de hac re inspiciantur, patebit amplius, monachos et monasteria semper fuisse in Episcoporum potestate, nisi peculiari privilegio essent ab ea exempti. OEcumenica synodus Chalcedonensis, habita an. 451, constituit (3) : « Monachos vero per unamquamque civitatem aut regionem subjectos esse Episcopo, et quietem diligere, et intentos esse tantummodo jejunio et orationi, in locis in quibus renuntiaverunt sæculo permanentes; nec ecclesiasticis vero, nec sæcularibus negotiis communicent, vel

(1) *Epist.* LXIII; *ad Eccl. Vercellen.*, num. 66. *Oper.*, tom. II, col. 1038, edit. Maur. Paris., 1690.

(2) *Confessionum*, lib. VIII, cap. 6. *Oper.*, tom. I, col. 150, edit. Maur. Paris., 1689.

(3) Can. IV. Harduin. *Acta Conciliorum*, tom. II, col. 602. Paris., 1714.

in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes; nisi forte his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis. » Concilium Aurelianense I an. 511 hæc statuit (1) : « Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; et si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur : qui semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant. » Aurelianense II an. 533 (2) : « Abbates, qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam suscepta humilitate deponant. » Arelatense V an. 554 (3) : « Ut monasteria vel monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta. » Vernense, an. 755 (4) : « Ut monasteria tam virorum quam puellarum secundum ordinem regulariter vivant; et, si hoc facere contempserint, Episcopus, in cujus parochia esse videntur, hoc emendare debet. » Arelatense VI, an. 813 (5) : « Providendum necesse est unicuique Episcopo, qualiter canonici vivere debeant, nec non et monachi, ut secundum ordinem canonicum vel regularem vivere studeant, ut ait Apostolus : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* » Aquisgranense II, an. 836 (6), reprehendit « nonnullos Episcopos, in gubernandis congregationibus sibi subjectis, canonicis videlicet et monachis et sanctimonialibus, negligentes. » Sed et præcipit (7), ut « in quantum ipsi abbates abbatumque subjecti Episcopis propriis pro se suisque omnibus rationem reddituros noverint, tanto eorum consilio atque auctoritate modis omnibus mancipentur. »

(1) Can. XIX. Harduin. *Oper. cit.*, tom. II, col. 1011.
(2) Can. XXI. Harduin. *Oper. cit.*, tom. II, col. 1176.
(3) Can. II. Harduin. *Oper. cit.*, tom. III, col. 328.
(4) Can. V. Harduin. *Oper. cit.*, tom. III, col. 1995.
(5) Can. VI. Harduin. *Oper. cit.*, tom. IV, col. 1004.
(6) Cap. I, can. I, Harduin. *Oper. cit.*, tom. IV, col. 1395.
(7) *Ibid.* Cap. II, can. I, col. 1396.

IV.

De hac monachornm subjectione in observanda regulari disciplina, Hallier (1) multa ex remotioribus sæculis refert Summorum Pontificum decreta, quæ in Corpore Juris etiam continentur. Quorum pauca quædam breviter attigisse satis erit.

Sic Gregorius Magnus, ad Vitalem defensorem Sardiniæ scribens, dc monasteriis statuit : « Ut Episcopo loci illius, sub cujus moderamine degunt, curæ sit, eorum causas utilitatesque disponere. Valde enim incongruum est, ut omisso eo, alius quilibet eorum se causis admisceat; sed ille eorum vitam competenti regularique debet moderamine componere, qui pro commissis eorum animabus compellitur reddere rationem. »

Idem alibi hæc habet : « Visitandi exhortandique gratia, ad monasterium quoties placuerit, ab Antistite civitatis accedatur; sed sic charitatis officium illis Episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. »

Pelagius et Urbanus II eamdem potestatem Episcopis asseruerunt.

Refert denique Hallier fragmentum Innocentii III, qui Archiepiscopo Auxitano rescripsit, « quatenus monachos, canonicos et alios regulares suæ provinciæ vagantes auctoritate sua comprimeret, et ex consilio abbatis eos in disciplina regulari contineret; quod si prælati eorum post ipsius commonitionem excqui negligenter omitterent, per suspensionem officii et beneficii, et appellatione remota, compelleret. »

Hæc sane tot Conciliorum et Summorum Pontificum canones et decreta probant abunde, semper Ecclcsiæ mentem fuisse, monachos et regulares, seclusis privilegiis,

(1) *Oper. cit.*, lib. IV, cap. 4, num. 8.

Episcopis diœcesium, in quibus degunt, subjectos esse quoad observantiam disciplinæ regularis; idque his verbis Cardinalis Petra confirmat (1) : « Præcisis privilegiis exemptionum a Papa indultarum, regulares erant et sunt subditi Ordinariis locorum, latius et diserte card. Albitius in *Discept. II in* ROMANA, *Jurisdictionis, seu tituli cardinalitii*, num. 1 et seqq. *post tractatum de jurisdictione*. Card. de Luca, quod intelligi debet etiam quoad instituta regularia; unde in concilio Vernensi, cap. III, generaliter statuitur, ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat tam in clero quam in regularibus, ut si quid contra disciplinam monasticam admissum esset, emendaretur, ut refert Gonzalez (in cap. *Grave*. 19. *De offic. jud. ordin.*), licet in his institutis incœperint postea prælatis regularibus esse subditi, scilicet circa disciplinam regularem. »

V.

Contra hanc de subjectione monachorum doctrinam opposita quidem fuere verba S. Thomæ, hæc scribentis (2) : « Monachus magis tenetur obedire abbati quam Episcopo, in illis quæ ad statuta regulæ pertinent; in his autem quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, magis tenetur Episcopo, quia in his abbas est Episcopo suppositus. »

Operæ pretium videtur, ad hæc Angelici Doctoris verba doctissimi Hallier responsum proferre (3), in quo multa docet, quæ ad rem nostram pertinent. « Primum, inquit, D. Thomas loquitur tantum de statu regularium, positis privilegiis et exemptionibus, in quo, nempe ex privilegio,

(1) *Commentaria ad Constitutiones Apostolicas*, tom. I, in Const. Paschalis II, sect. 1, num. 4, edit. Venetiis, 1741.

(2) *In II lib. Sent.* Dist. XLIV, quæst. 2, art. 3, in fin. *Oper.* tom. X, col. 567, edit. Venetiis, 1777.

(3) *Oper. cit.*, lib. IV, cap. 4, num. 15 et 16.

abbatibus permittitur monachos ad professionem recipere absque Episcopi consensu, in quo statu non reprobanda est D. Thomæ sententia. Sed non sequitur, sententiam D. Thomæ veram esse, loquendo de statu religioso, seclusis omnibus privilegiis et exemptionibus, in quo statu neminem licebat abbati ad professionem recipere, nisi ex conscientia Episcopi. »

In hujus asserti confirmationem Hallier tum complura laudat monumenta. Deinde ita prosequitur : « Pars quoque ista responsionis nostræ ratione confirmatur : quia quemadmodum in republica civili nemo sine privilegio principis politici collegio ulli politico adscribi potest, nec superior collegii, nisi potestate sibi a principe concessa, potest illum in collegium ad finem politicum ordinatum cooptare ac referre; ita in quacumque diœcesi, cujus caput est Episcopus, nemo potest in societatem spiritalem ullum cooptare ac referre, nisi accepto privilegio a principe, puta ab Episcopo. Quare, cum per professionem religionis aliquis in collegium et societatem quamdam spiritalem et corpus ecclesiasticum cooptetur, oportet ad hoc adesse privilegium Episcopi, quo ibbati liceat in religionis corpus et societatem ullum admittere; tum quia ad validam professionem in religioso statu oportet votum esse solemne, id est, ab Ecclesia acceptatum; hæc enim inter solemne et non solemne votum differentia est, quod solemne ab Ecclesia acceptatum sit, aliud non sit; ideoque defectu ejus conditionis accidit, ut, qui in religionibus non approbatis votum emittunt, non censeantur veri religiosi, ut ex Summorum Pontificum constitutionibus deducitur. Quomodo autem ab Ecclesia votum acceptabitur, nisi vel a Summo Pontifice vel ab Episcopo, quorum hic Ecclesiam suam, ille Ecclesiam universalem repræsentat, acceptetur? Quare vel Summi Pontificis vel Episcopi privilegium requiritur ad hoc, ut in manu abbatis facta professio sit valida. Tum quia ante privilegia ista, vel ab Episcopis vel a Summis Pontificibus obtenta, oportebat examinari ab Episcopo recipiendos ad profes-

sionem et ab iis probari, ut canones antiqui docent, et in pluribus adhuc monasteriis receptum est. Privilegio ergo opus fuit, ut ab hoc onere monachi eximerentur.

» Quare, cum ait D. Thomas, in iis, quæ ad regularem disciplinam spectant, monachum plus teneri obedire abbati quam Episcopo, quia abbati se voto obstrinxit, non Episcopo, manifeste patet, loqui ipsum de regularibus, positis privilegiis et exemptionibus.

» Secundo, nec in eo etiam casu, quo ex privilegio monachis concessum esset, ut coram abbate votum emitterent, sic tamen ut ab Episcoporum potestate omnino immunes non essent, videtur esse universim certa D. Thomæ sententia; tum quia major est obligatio præcepti quam voti, ut alibi docuimus; præcepto autem tenentur monachi Episcopis obedire, voto tantum abbatibus; major proinde est obligatio, etiam in ea hypothesi, qua monachi obstringuntur Episcopis quam abbatibus suis; tum quia D. Augustinus contrarium D. Thomæ videtur docere in sua regula, in qua non tantum obligationem parendi Episcopis præfert obligationi parendi præpositis religionis, verum etiam parendi presbyteris. Verba D. Augustini sunt (1) : *Præposito*, inquit, *tamquam patri obediatur, multo magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit*; deinde : *Ad præpositum præcipue pertinebit, ut ad presbyterum, cujus est apud nos major auctoritas, referat, quod modum vel vires ejus excedit*; tum quia, quod ad Ecclesiæ orientalis praxim attinet, expresse docet Balsamon (2), monachos magis subesse Episcopis quam suis prælatis; tum quia ex prædicta ratione inferrent quoque monachi, se magis obedire debere abbati suo, cui obedire se voto promiserunt, quam ipsi Summo Pontifici, cui se voto minime obstrinxere. Itaque sicut in voto, quo abbati se obstringunt, excipitur Summus Pontifex, cui contraria abbatis jussionibus imperanti potius obedire

(1) *In regula ad servos Dei.*
(2) In can. LXXXIII, Conc. Carth.

Digitized by Google

tenentur quam abbati, ita et excipitur Episcopus, cui pariter, contraria sancienti, magis obedire monachus obligabitur quam abbati; eodem modo quo, qui in aliquod collegium aut confraternitatem admittuntur, jurant se obedituros præfecto collegii et reverentiam exhibituros; quod scilicet intelligitur, quamdiu præfectus a principe probatur, nec contraria ejus legibus statuat. »

Hæc Hallierii verba tam clara sunt, ut explicatione non indigeant, et S. Thomam frustra nobis opponi aperte probent; quin contra monachos et regulares, nisi peculiari privilegio eximantur, quod ad regularis disciplinæ observantiam pertinet, Episcopis omnino subesse plane confirment.

VI.

Ubi jam ea egimus, quæ de Episcoporum potestate in regularis disciplinæ observantiam exponenda videbantur, reliquum est, ut de jure Episcoporum in religiosos presbyteros dicamus, scilicet quatenus hi in exercendis functionibus sacris et quoad disciplinam ecclesiasticam Episcopis subdantur. Sed etiam in hac disquisitione abstrahimus a privilegiis, quæ a legitima auctoritate regularibus fuerunt concessa.

Ut probe definiatur, quænam sit Episcoporum sub hac ratione potestas, notari debet, hierarchicum ordinem in Ecclesia ita esse constitutum, ut, quemadmodum omnes Christi fideles in diœcesi curæ et gubernationi Episcopi subjiciuntur, nisi Summus Pontifex aliquas personas ab illius subjectione exemerit, sic etiam nemo gregem Episcopo commissum pascere et regere vel sacras functiones in diœcesi persolvere potest, nisi a legitima auctoritate, Episcopo superiore, vel ipso Episcopo facultatem aut missionem ad hæc præstanda obtinuerit. Jam vero facultas aut missio ista regularibus non datur hoc ipso solum, quod religiosam vitam profitentur. Professio enim

Digitized by Google

cujuscumque ordinis religiosi, etiam illius qui ad docendum aut prædicandum institutus est, potestatem non tribuit sacra officia obeundi, nec jus aliquod ad Ecclesiæ gubernationem concedit; sed id solum efficit, ut illi, qui eam emiserunt, obligari possint ad sacra munera obeunda, si a competente hierarchica auctoritate potestas in eum finem ipsis concedatur.

Hæc quidem sedulo sunt animadvertenda; nam ex eo quod voto quis se obstringat ad obeundas sacras functiones, potestatem et jus non obtinet eas jam statim obeundi; nam votum illud *voluntatem* tantum indicat voventis, non vero *potestatem* sacris muneribus fungendi; ac fieri potest, ut quis votum emittat, qui non tantum *de facto* nullam ad hæc officia obeunda habeat potestatem, verum etiam ad ea inhabilis sit, et ab iis etiam per canonicas leges repellatur (1).

Atque hæc doctrina est S. Thomæ (2), qui ipse religiosus erat unius ex iis ordinibus, qui ad docendum et prædicandum instituti sunt. Docet enim, ordines hujus generis institui « ad prædicandum et confessiones audiendum, non quidem auctoritate propria, sed auctoritate prælatorum superiorum et inferiorum, ad quos ex officio pertinet. » Item docet, « a prælatis non concedi talibus religiosis, ut quilibet indifferenter possit prædicare vel confessiones audire, sed secundum moderationem eorum qui hujusmodi religionibus præficiuntur, vel secundum taxationem ipsorum prælatorum. » Et ubi generatim de quocumque ordine agit, itidem expressis verbis docet (3) : « non licere monachis et aliis religiosis prædicare, docere et alia hujusmodi facere; quia status religionis non dat eis potestatem hujusmodi faciendi. Possunt tamen ista facere, si ordinem accipiant vel ordinariam jurisdictionem, aut etiam si eis committantur ea quæ sunt jurisdictionis. »

(1) Cfr. Hallier, *Oper. cit.*, lib. IV, cap. 2, § 3, num. 20.
(2) *Summa theologica*, 2. 2. quæst. 188, art. 4, ad 4 et 5.
(3) *Oper. cit.* quæst. 187, art. 1, in corp.

Præterea ait (1) : « Monachi, ex hoc quod sunt monachi, non nanciscuntur potestatem talia faciendi. »

Hæc sane omnia indicant, nullam quidem potestatem docendi aut prædicandi religiosis cujuscumque ordinis concedi vi solius professionis.

Sed et hoc præterea vel ex eo patet, quod id, quod religio sive ordo aliquis tribuit *per se*, illud tribuit omnibus, qui eumdem ordinem ingrediuntur; posita enim causa, ponitur effectus. Hinc, si professio in ordine, qui ad prædicandum vel docendum institutus est, causa esset, cur aliqui religiosi talis ordinis possent prædicare vel docere, dici quoque deberet, omnes, quotquot fuerint professi, eodem jure frui; atqui in hujusmodi ordinibus sunt fratres conversi, laici, quibus profecto munus docendi et prædicandi convenire nequit. Liquet igitur, religiosis cujuscumque ordinis non tribui potestatem sacras functiones exercendi vi solius religiosæ professionis. Atque adeo sacra munera, ut confessionum auditionem, verbi Dei prædicationem, etc., quæ aliquot ordinum religiosi exercent, non exercent vi ordinis, quem professi sunt, sed vi *ordinis sacri*, quem susceperunt, et vi *spiritualis jurisdictionis*, quæ ipsis a legitima auctoritate ecclesiastica concessa est. Proindeque isti actus non *per se* sunt actus religiosorum ordinum, sed actus ordinis sacri et jurisdictionis delegatæ. Accedit, functiones sacras hujus generis non posse legitime exerceri nisi in subditos ab ecclesiastica auctoritate assignatos; atqui per solam professionem religiosam nulli subditi assignantur, nec ullus Christi fidelis per professionem istam religioso professo subjicitur; ergo iterum patet, solam professionem in ordine quocumque emissam non tribuere jus sacra munera exercendi (2).

Sed et hæc confirmari possent ex omnibus iis ecclesiasticis legibus, quibus constat, monachos Episcopis quoad

(1) *Oper. et loc. cit.* ad primum.

(2) Ita fere argumentatur Hallier, *oper. cit.* lib. IV, cap. 1, §§ 2 et 3. Ubi probat, Regulares qua Regulares absolute non pertinere ad hierarchiam ecclesiasticam.

Digitized by Google

sacras illas functiones subjici. At supervacaneum esse videtur, eas hic proferre; quandoquidem jam probatum esse opinamur, religiosis presbyteris numquam fas fuisse, vi professionis dumtaxat, sacra munera exercendi. Itaque ubi eadem exercuerunt, vel etiamnum exercent, dici debet, potestatem istam ab Episcopo diœceseos ipsis esse tributam, nisi privilegio Summi Pontificis a petenda legitima facultate diœcesani Episcopi fuerint liberi.

Restat igitur, ut dicamus

§ III.

De privilegiis et exemptionibus regularium.

I. *Privilegia, quæ Summi Pontifices vel Episcopi initio, præsertim sæculo sexto, regularibus concesserunt, non aliud fere continebant nisi licentiam eligendi Abbates, et libere administrandi bona sui monasterii.*

II. *Summus Pontifex Adeodatus primus fuit, qui monasterium a spirituali jurisdictione Episcopi liberavit, idque præstitit dumtaxat cum consensu Episcopi diœcesani.*

III. *Ab octavo usque ad undecimum sæculum eadem fere, quæ prioribus sæculis, privilegia regularibus concessa fuerunt.*

IV. *Undecimo sæculo monasteriis complura quidem fuerunt impertita privilegia, non tamen omnis Episcoporum in eadem cessabat jurisdictio, nisi id in fundatione monasteriorum esset præcautum, vel Episcoporum consensus accederet.*

V. *Ante sæculum decimum tertium non inveniuntur privilegia, quorum vi regularibus fas esset, invitis Episcopis diœcesanis, prædicare verbum Dei,*

VI. *Vel excipere confessiones sacramentales laicorum.*

VII. *Traduntur quædam regulæ ad usum privilegiorum pertinentes.*

VIII. *Regulares privilegia sua Episcopo exhibere debent, ubi aliquid agere vel omittere volunt, quod juri communi, Concilio Tridentino vel Summorum Pontificum decretis contrarium est.*

1.

Ex iis, quæ proxime tradebamus, palam est, regimen ecclesiasticum ita esse constitutum, ut monachi et regulares Episcopo omnino subjecti sint, tam in iis, quæ ad disciplinæ monasticæ seu regularis observantiam, quam in iis, quæ ad sacrorum munerum exercitium pertinent, nisi in his rebus privilegio vel ipsius diœcesani Episcopi vel Romani Pontificis sint liberi.

Jam quidem a multis sæculis Romani Pontifices et Episcopi aliquot impertiti sunt privilegia, quibus certis in rebus ab Episcopi diœcesani potestate liberabantur monachi et regulares; verum nostra potissimum interest indicare, quando hujusmodi privilegia primum concedi cœperint, et quasnam comprehenderint causas.

Multa in hanc rem scriptores de antiqua Ecclesiæ disciplina congesserunt; præ cæteris vero copiose et luculenter de hac re scripsit Ludovicus Thomassinus in opere quod inscribitur, *Vetus ac nova Ecclesiæ disciplina.* Quapropter ego hic nihil fere aliud molior, quam ut excerpta quædam conferam ex scripto illo celeberrimo, præcipue autem ex part. I, lib. III, cap. 29 et seq.

Porro privilegia, quæ sæculo præsertim sexto vel ab Episcopis vel a Summis Pontificibus concedi cœperunt, non referebantur ad omnia universi cujusdam ordinis monasteria, sed ad illa solum, quæ nominatim in concessione memorabantur. Privilegia ista hæc duo tantum continebant, licentiam scilicet, qua monachi monasterii in privilegii diplomate nominati eligere poterant abbates suos, qui alias ab Episcopis præsertim pendebant, et liberam

Digitized by Google

bonorum monasterii administrationem, quæ antea penes Episcopos fuerat. Hæc porro bona sua administrandi libertas conjunctam habebat immunitatem a certis oneribus, quæ Episcopis antea debebantur. Interea tamen salva manebat Episcoporum auctoritas in regularem observantiam. Illa etiam perspicua sunt, teste Thomassino (1), ex decreto, quod in Romana Synodo anno 601, edidit S. Gregorius Magnus, quodque publicavit Baronius ad annum 601. In hoc enim istud decretum totum collimat, ut in tuto sit res temporalis monasteriorum, ut electioni abbatis libertas canonica constet, utque illi invito monachi sui non subtrahantur. Quos eum in finem Episcopi subinde subtrahebant, ut eos in clerum sæcularem adsciscerent. Cæteroquin ex eodem S. Gregorii decreto Abbates obnoxii manebant correptioni Episcoporum, nec spirituali ejus jurisdictioni quidquam detrahebatur.

II.

Primus omnium, qui religiosos aliquot a spirituali Episcopi jurisdictione exemit, fuit Summus Pontifex Adeodatus, qui anno 670 ad summum Pontificatus apicem fuit evectus; hic scilicet a spirituali Episcopi Turonensis jurisdictione exemit monasterium B. Martini. Sed idem Pontifex testatus est, indulgentiam istam inauditam esse novitatem; neque etiam ad eam concedendam adduci potuit, nisi postquam certior factus esset de Episcoporum Galliæ et ipsius Turonensis Episcopi consensu. « Parumper ambigimus, inquit, idcirco quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat, a regimine episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. Verum ubi et fratris nostri Crotberti Turonensis præsulis monachicam libertatem, id est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam, religiositate ejus exemplaria profe-

(1) *Loc. cit*, cap. 30, num. 3.

rente, comperimus, in cujus volumine et aliorum, per Gallicanam videlicet provinciam constitutorum antistitum, ad id consensum præbentium, subscriptiones subter annexas inspeximus, nullatenus jam exortem rationis ac canonicæ regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus (1). »

III.

Privilegia, quæ Episcopi monasteriis dederunt ab octavo usque ad undecimum sæculum circiter, eadem fere erant, quæ prioribus temporibus fuerant concessa, et eo fere pertinebant, ut monachi libere eligere possent suos abbates, et penes ipsos esset libera bonorum suorum temporalium administratio. Ex hoc autem duplici privilegio consequebantur plura alia; deinceps enim non poterat amplius Episcopus aliquid ex bonis vel reditibus monasterii exigere, vel aliquid sibi in abbatem arrogare, vel in monasterium, vel in cellas ei subjacentes, vel in clericos et servos ibi ministrantes, nisi quantum per canones fas esset.

Hæc eadem privilegia iis temporibus a Summis etiam Pontificibus fuere concessa, vel petentibus ipsis Episcopis diœcesanis, vel rogantibus monasteriorum fundatoribus, qui ex observantia in Sedem Apostolicam, vel ad præcavenda etiam incommoda ex mala agendi ratione quorumdam Episcoporum monasteriis aliquando illata, vel aliis etiam ex causis mallent, ut certis in rebus monachi monasterii a se fundati immediate Sedi Apostolicæ potius quam Episcoporum potestati prorsus essent subjecti.

Attamen per indulgentiam hujusmodi privilegiorum episcopalis in monachos jurisdictio non omnino cessabat; in iis enim quæ ad ordines, oleum, chrisma, dedicationes

(1 Thomassinus, *loc. cit.*, num. 7.

ecclesiarum, consecrationes altarium, criminalia abbatum judicia, et ipsas exemptionum tuendarum causas pertinebant, episcopali jurisdictioni adhuc continuo suberant.

IV.

Sæculo undecimo deinde multa monasteriis concessa leguntur privilegia; sed etiam in iis sua servabatur Episcopis jurisdictio spiritualis; vel si qua monasteria ei subtraherentur, id tunc cautum erat in ipsa fundatione monasteriorum, ita scilicet volentibus fundatoribus, qui ea Romano Pontifici prorsus subjiciebant; vel concessa ipsis fuit exemptio a jurisdictione episcopali, regibus et episcopis illud petentibus.

Thomassinus ex hoc eodem sæculo monumentum quoddam profert, quo probat, Romanum Pontificem ne in Italia quidem abbatias Romanæ Ecclesiæ ut proprias sibi vindicasse, nisi ubi assentiebantur Episcopi (1). « In concilio Romano, inquit, anni 1002, sub Sylvestro II Papa, Pontifici ipsi controversiam fecit Episcopus Perusinus de Perusino monasterio. Repræsentavit Pontifex libertatum instrumenta a Prædecessoribus suis collatarum. Responsum est ab Episcopo, numquam assensos fuisse majores suos Episcopos Perusinos. *Sine antecessoris mei consensu privilegium illud factum est; si solum viderem consensum, haberem inde æternum silentium.* Tum vero universus clerus Romanus vociferatus est, vidisse se litteras, consensum, adeoque et preces antecessoris ejus. *Vidimus autem epistolam antecessoris tui, in qua et consensus erat, et precibus, ut hoc fieret, postulabat.* »

(1) *Loc. cit.*, cap. 36, num. 4.

V.

Quod autem in hac de privilegiis disquisitione novisse nostra præsertim refert, hoc est, quandonam et quas ob causas privilegia fuerint regularibus concessa, quorum vi functiones sacras, audiendi scilicet sæcularium confessiones et prædicandi verbum Dei, persolvere potuerunt. Qua in re illud quidem statuendum esse videtur, authenticis documentis non constare, regulares privilegio hujus generis a Summis Pontificibus donatos fuisse ante sæculum XIII. Tunc temporis autem regularibus ordinum mendicantium, Franciscanis et Dominicanis, et deinceps aliis etiam, facultates concessæ fuerunt confessiones excipiendi injussu Episcoporum et parochorum. Non quidem omnino liberi erant a petenda facultate Episcopi; at ubi ipse eam licentiam non daret, regularibus nihilominus fas erat, Episcopo etiam invito, confessiones excipiendi.

Summi Pontifices calamitosis istis temporibus sapientiæ et pietatis consilio et ad lucrandas animas adducti fuerunt ad inusitatas has facultates regularibus concedendas, etiam non exspectato quandoque consensu pastorum immediatorum; nam iis temporibus non raro accidit, ut pastores isti immediati auxiliarium religiosorum virorum subsidium pertinaciter recusarent, cum tamen eorum opera imprimis esset necessaria. S. Bonaventura advertit, extraordinarias has facultates regularibus a Summo Pontifice ideo delegatas fuisse eo tempore, quod Episcopi et parochi de pastorali sollicitudine plurimum remiserant, quia rarius residebant, et curis ac negotiis se intricabant sæcularibus, atque parochiarum regimen in vicarios et mercenarios transferebant. « Sedes Apostolica, inquit (1).... videns in his novissimis temporibus, juxta Apo-

(1) *Determinationes quæstionum circa Regulam S. Francisci*, quæst. 2, *oper.* tom. V, col. 748, edit. Venetiis, 1754.

Digitized by Google

stolum instare tempora periculosa, et laxatis Evangelicæ prædicationis retibus in capturam tantos influxisse pisces hominum ad fidei professionem, quod rete fidei scinditur, messem fidelium multam, et operarios idoneos paucos, eo quod peccata quotidie multiplicantur in Ecclesia, et Episcopi, negotiis exterioribus dediti, spiritualibus intendere nequeunt, et pauci sunt pastores in ecclesiis personaliter residentes; sed vicariis et mercenariis committunt oves sive animas regendas, in quorum plurimis multi eveniunt defectus imperitiæ, et honestæ vitæ, negligentiæ, et aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles; et non esse qui plebes erudiant, vel a peccati fæcibus extrahant, vocavit nos in adjutorium tam cleri quam populi, ut per officium prædicationis et confessionis subveniamus animabus, et onus pastorum sublevando alleviemus. » Ita rem revera se habuisse fidem faciunt ejus ævi concilia; quippe quorum canones præcipue animadvertunt in ea disciplinæ vitia, quæ S. Bonaventura significat. Nihil mirum igitur, Summos Pontifices tunc temporis nonnullis ordinibus regularibus impertitos fuisse extraordinaria quædam privilegia, cum aptissimum hoc esset remedium, quo tantis malis levamen afferri posset.

Non tamen ea erat Summorum Pontificum voluntas, ut regulares in sacrorum munerum exercitio Episcoporum auctoritatem prorsus prætermitterent, ut manifestum fit ex Bonifacii VIII constitutione, quæ agit de privilegiis Prædicatorum ordinis S. Dominici et Fratrum Minorum ordinis S. Francisci. Ibi enim postquam statuit, « ut dictorum ordinum fratres in ecclesiis et locis eorum, ac in plateis communibus libere valeant clero et populo prædicare ac proponere verbum Dei, » adjicit : « In ecclesiis autem parochialibus fratres illi nullatenus audeant vel debeant prædicare vel proponere verbum Dei, nisi fratres prædicti a parochialibus sacerdotibus invitati fuerint vel vocati; et de ipsorum beneplacito et assensu seu petita licentia fuerit et obtenta, nisi Episcopus vel prælatus superior per eosdem fratres prædicari mandaret. »

VI.

De confessionibus autem sæcularium audiendis præscripsit ibidem idem Pontifex : « ut in singulis civitatibus et diœcesibus, in quibus loca fratrum ipsorum consistere dignoscuntur, vel in civitatibus et diœcesibus locis ipsis vicinis, in quibus loca hujusmodi non habeutur, magistri, priores, provinciales Prædicatorum, aut eorum vicarii, et generales et Provinciales ministri et custodes Minorum ordinum prædictorum ad præsentiam Prælatorum eorumdem locorum se conferant, per se vel per fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum civitatibus et diœcesibus confessiones subditorum suorum, confiteri sibi volentium, audire libere valeant...., atque eisdem absolutionis beneficium impendere de licentia, gratia et beneplacito eorumdem. Ac deinde præfati ministri... ordinum prædictorum eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vita probatas, discretas, modestas atque peritas ad tam salubre ministerium et officium exequendum; quas sic ab ipsis electas repræsentent vel faciant repræsentari Prælatis, ut de eorum licentia, gratia et beneplacito in civitatibus et diœcesibus eorumdem hujusmodi personæ sic electæ confessiones confiteri sibi volentium audiant..... Numerus autem personarum assumendarum ad hujusmodi officium exercendum esse debet, prout universitas cleri et populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorumdem. Et si iidem Prælati petitam licentiam confessionum hujusmodi audiendarum concesserint, illam præfati magistri, ministri et alii cum gratiarum recipiant actione, dictæque personæ sic electæ commissum sibi officium exequantur. Quod si forte jam dicti Prælati quemquam ex dictis fratribus præsentatis eisdem ad hujusmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum, eo amoto vel subtracto, loco ipsius similiter

Digitized by Google

eisdem præsentandus Prælatis possit et debeat alius surrogari. Si vero iidem Prælati præfatis fratribus ad confessiones, ut præmittitur, audiendas electis hujusmodi exhibere licentiam recusarint, nos ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant,.... gratiose concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis (1). »

Ampla quidem erant hæc privilegia; sed ex iis tamen patet, Summum Pontificem voluisse, ut regulares, quamquam propter singularia rerum et temporum adjuncta extraordinariis essent donati privilegiis, iisdem tamen vix aut ne vix quidem uterentur, nisi postquam licentiam ab Episcopo diœcesano saltem petiissent.

Postea Summus Pontifex Sixtus IV, ordinis Minorum S. Francisci, constitutione, *Regimini*, data die 13 augusti anno 1474, non tantum confirmavit privilegia a prædecessoribus suis eidem ordini concessa, verum etiam alia multa maxima quidem munificentia adjecit. Atque « ex mutuo spiritualis amicitiæ fœdere, ut ait cardinalis Petra (2), et promiscuis amplexibus, quibus SS. Dominicus et Franciscus, cum in humanis essent, sanctum fœdus inierunt, perpetuus prodiit amor et benevolentia, qua conjunctissimæ fuerunt et adhuc sunt inclytæ Prædicatorum et Minorum religiones. Hinc videmus ipsos Summos Pontifices ex alterutro eorum ordine assumptos, mutua benignitate adhibita, prosecutos esse favoribus et gratiis proprii et alterius ordinis alumnos.... Quid igitur mirum, si Pontifex hujus constitutionis conditor, Seraphici ordinis alumnus, postquam benigne se convertisset ad religionem Minoritarum, ut dixi constitutione præcedenti, profuso munificentiæ sinu, tot gratias et privilegia ordini Prædicatorum fuerit elargitus,.... ut pari gradu, munificentia et benevolentia pontificia utrumque ordinem complecteretur. »

(1) Extrav. comm. *De sepulturis*, cap. 2. *Super cathedram* (lib. III, tit. 6).
(2) *Oper. cit.* tom. V, in Const. VII Sixti IV.

Ea de causa, quod hic Pontifex tam amplas et multas gratias binis ordinibus istis concesserat, duæ ejus bullæ, quibus ea privilegia continentur, *Mare magnum* vulgo nuncupatæ sunt.

Adversus illa privilegia, præsertim quibus facultas dabatur regularibus excipiendi confessiones sæcularium injussu Episcoporum et parochorum, acerbæ et multæ querelæ exortæ sunt, atque dissensiones etiam sæcularem inter et regularem clerum exinde efferbuerunt. Sæpius quidem tunc temporis Episcopi institerunt, ut Summi Pontifices eadem revocarent aut saltem temperarent; at universum hoc de privilegiis negotium ante concilium Tridentinum componi et absolvi non potuit.

In hac synodo cogitatum quidem fuit de revocandis omnibus regularium privilegiis; sed propter labores, quos regulares in Ecclesia impenderant, Patres Tridentini noluerunt gratias et privilegia prorsus omnia revocare. Quænam autem revocata non fuerint, quæve post œcumenicam hanc synodum a Summis Pontificibus denuo fuerint concessa, in reliquis hujus opusculi partibus indicaturi sumus.

VII.

Cum igitur non omnia regularium privilegia et exemptiones fuerint revocata, et nonnulla post Tridentinam synodum a Summis Pontificibus denuo sint concessa, e re esse opinamur, hic aliquas de privilegiis tradere regulas, eo fine scilicet, ut clerus regularis iisdem non utatur nisi ad mentem Summorum Pontificum qui eadem concesserunt, et ut clerus sæcularis non conetur legitimum eorumdem usum impedire.

Eam porro in rem animadverti debet :

1° Cum Romanus Pontifex divino jure in universam Ecclesiam habeat supremam potestatem ac jurisdictionem, ipsi soli jus competit regulares personas vel loca regularia

eximendi a jurisdictione Episcoporum contra vel citra horum consensum; et, ubi hoc jure utitur Summus Pontifex, regulares immediate et omni modo Sedi Apostolicæ subjiciuntur.

2° Privilegia et exemptiones regularium pertinent ad rem Ecclesiæ disciplinarem; atque adeo, quemadmodum res disciplinares omnes, sic etiam hæc ex voluntate Summi Pontificis secundum temporum et locorum circumstantias mutari potest.

3° Romani Pontificis unius est tamquam supremi judicis definire, quibusnam in adjunctis Ecclesiæ causa exigat, ut privilegia sive exemptiones concedantur aut revocentur aut limitentur. Sed hoc non impedit, quominus particularium Ecclesiarum Episcopi Sedem Apostolicam adire possint, ubi existimant in suis diœcesibus e re sacra esse, ut regularium privilegia immutentur aut coarctentur. Cum enim Summus Pontifex peculiares omnes omnium locorum res atque rationes perspectas habere nequeat, quemadmodum fatetur Bonifacius VIII (1), Episcoporum non tantum jus sed et officium est, siquando contingat aliquam legem disciplinarem, statuta aut privilegia Pontificia, quæ Episcopi mutare nequeunt, diœcesibus suis opportuna non esse, ut Summum Pontificem de ea re certiorem reddant, eique rationes suas exponant; qui si eas firmas esse agnoscat, iisdem morem gerere non recusat (2).

4° Exemptiones sive privilegia, quibus regulares ab Ordinariorum jurisdictione liberantur, seu quibus ipsis aliquid conceditur quod juri communi contrarium est, in jure *odiosa* habentur, adeoque *strictæ interpretationis*; regula enim juris 28 *in Sexto* hæc est : *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda;* et regula 15 *in Sexto* dicit : *Odia restringi, et*

(1) *De Constitutionibus*, cap. 1. *Licet. in Sexto* (lib. I, tit. 2).

(2) Cfr. Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. IX, cap. 8, num. 3 et 4, edit. Venetiis, 1767.

Digitized by Google

favores convenit ampliari. Opinamur hanc etiam esse communem illorum canonistarum sententiam, qui juris principia apprime habuerunt perspecta, et regularium privilegia secundum juris regulas interpretari studuerunt.

Ita Fagnanus ait (1) : « In privilegiis distingue secundum doctores... aut agitur de præjudicio tertii vel juris communis, et fit stricta interpretatio... Quod adeo verum est, ut neque ex identitate, imo neque ex majoritate rationis privilegium extendatur de casu ad casum; et est communis opinio... Alia ratio hujus conclusionis est, quia omnis recessus a jure communi est odiosus... quare in dubio fit interpretatio pro jure communi, quando concurrit cum privilegio; nam privilegium recipit interpretationem a jure communi, et debet interpretari, ut minus lædat jus commune quam fieri possit. »

Eamdem doctrinam clarissime tradit Zypæus noster (2) : « Exemptiones odiosæ sunt, tamquam juri communi adversariæ, hierarchiæ ecclesiasticæ inimicæ, et quæ jus alteri auferant, scilicet auctoritatem suam Ordinariis locorum ; quod Princeps aut Pontifex numquam facere censetur, nisi disertis admodum verbis expresserit. »

Comprobat hanc doctrinam Berardi, dum scribit (3) : « Regula generalis in hac re constitui potest, etiam hodie nec monasteria nec monachos exemptos dici ab Episcoporum jurisdictione, nisi in quibus jus singulare, scilicet privilegia, consuetudines, præscriptiones ac legitimas fundationum tabulas allegent ac probent, ita ut eadem singularia jura strictam interpretationem patiantur. Quæ ratio fuit, cur Innocentius III, in cap. 17, *De privilegiis*,

(1) *Commentaria in quintum librum Decretalium. De verborum significatione*, cap. 16. *Olim*, num. 15 et seq., edit. Vesuntione, 1740.

(2) *Consultationes canonicæ*, *consult.* 1. *De privilegiis*, col. 335, edit. Antverpiæ, 1675.

(3) *Commentaria in jus ecclesiasticum universum*, tom. 1, diss. 4, cap. 5, edit. Venetiis, 1789.

Digitized by Google

etiam post probatam monasteriis exemptionem definiverit, adhuc capellas a monasterio pendentes non ideo exemptas intelligi. Deinde altera regula subjicitur, in iis, quæ contra privilegia monachorum aut monasteriorum recentioribus constitutionibus edita sunt, præsertim in concilio Tridentino, eam capiendam esse interpretationem, quæ facile Episcopis faveat, ob facilem uniuscujusque rei ad sua principia regressum. »

Non equidem ignoramus, complures Canonistas et Theologos esse, præsertim inter regulares, qui opinantur, omnia privilegia ordinibus regularibus aut monasteriis concessa late imo etiam latissime esse interpretanda, ideo quod hujus generis privilegia omnia præsumuntur esse concessa *in remunerationem servitii præstiti*, atque adeo habenda esse *favorabilia*.

Sed inprimis, probandum esset, omnia regularium privilegia *præsumi* in servitii præstiti remunerationem esse concessa; deinde et illud probari deberet, omnia privilegia, quæ in servitii præstiti remunerationem concessa sunt, etiam tum, cum juri communi adversantur vel in præjudicium tertii cedunt, esse *favorabilia*, adeoque latæ aut latissimæ interpretationis.

Nos igitur illorum Doctorum opinioni non subscribimus, quum nullo quidem firmo argumento eam comprobasse videntur.

5° Privilegia dantur in ædificationem et utilitatem Ecclesiæ, vel saltem ea mente, ut eorumdem usus Ecclesiæ bono non obsit. Quapropter si usus privilegiorum magis obesset quam prodesset fini in quem concessa sunt, regularibus non liceret iisdem uti; quamquam in foro Ecclesiæ externo Episcopi illos pœnis ecclesiasticis et directe coërcere non possent, ut ab usu eorumdem abstinerent, donec a S. Sede fuissent revocata.

Neque jure contenderent regulares, usum privilegiorum semper in ædificationem nec umquam in destructionem cedere, quamdiu Summus Pontifex ea non revocaverit aut limitaverit; nam si hæc vera essent, privilegia semel

Digitized by Google

concessa vix umquam aut numquam revocata vel limitata fuissent. Cur enim Pontifices sæpius privilegia revocarunt? Quia plerumque experientia jam constabat, eorumdum usum fini proposito non amplius esse accommodatum, vel quia saltem privilegiati iis non utebantur eo modo ut præfinitum finem attingerent.

Hoc etiam Summorum Pontificum decretis, quibus regularium privilegia abrogarunt vel immutarunt, apertissime confirmatur. Quod ut palam fiat, satis erit in hanc rem notasse verba Benedicti XI (1), ubi agit de quibusdam privilegiis Fratrum Prædicatorum et Minorum : « Sane dudum, inquit, bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII, prædecessor noster, quamdam specialem inter Prælatos, rectores seu sacerdotes et clericos parochialium ecclesiarum ex parte una, et Prædicatorum ac Minorum ordinum fratres ex altera, super faciendarum prædicationum audiendarumque confessionum per eosdem fratres, ac de eis relictis, et de funeralibus canonicæ portionis articulis, constitutionem edidit... Sed pro ea quam intendebat quiete turbatio nata est, pro concordia sunt surborta dissidia, et pullulatæ inquietudines pro tranquillitate nascuntur; sicque, dum ansam solvisse se credidit, nodum ligasse videtur, et septem uno hydræ amputato capite suscitasse. »

Nec minus perspicua in eamdem rem sunt verba Clementis V in concilio œcumenico Viennensi (2), quibus prædictam Benedicti XI constitutionem abrogat, et disciplinam a Bonifacio inductam restituit : « Dudum, ait, a Bonifacio Papa VIII, prædecessore nostro, infra scripta edita decretali, Benedictus Papa XI, prædecessor noster, aliam illius revocatoriam promulgavit; quæ quia (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipsius speratæ fructum non attulit, quinimo discordiæ, pro qua sedanda

(1) Extrav. comm. *De privilegiis*, cap. 1. *Inter cunctas* (lib. V, tit. 7).

(2) Clem. *De sepulturis*. cap. 2. *Dudum* (lib. III, tit. 7).

processerat, fomentum non modicum ministravit : nos eam omnino cassantes, aliam a præfato Bonifacio editam, sacro instante et approbante concilio, innovamus. »

Patet itaque jam sæpius privilegiorum usum posse noxium esse, priusquam abrogentur vel immutentur. Sed et amplius id patebit, ubi de jure hodierno regularium in exercendis muneribus sacris agemus.

6° Perspicuum est, Summum Pontificem regularibus in universa Ecclesia impertiri privilegia posse; Episcopi autem eo jure fruuntur pro regularibus et monasteriis in suis diœcesibus constitutis. Episcopi quidem completam et generalem exemptionem concedere legitime non possunt, sed partialem tamen et pro casibus peculiaribus, justis de causis ac servatis juris solemnitatibus. Verum hujusmodi concessio privilegiorum, quæ ab Episcopo facta est, ligare non potest ejus successorem, nisi Summus Pontifex concessionem istam ita confirmasset, perinde ac si ipse privilegia concessisset.

7° Tandem observare juvat, quemadmodum clerus regularis male ageret, si privilegiis etiam tum uteretur, cum eorumdem usus potius in Ecclesiæ detrimentum quam utilitatem vergeret, ita etiam munus et officium suum violaret clerus sæcularis, siquando moderatum et æquum usum privilegiorum regularium impedire vellet. Probe enim et alta mente teneri debet, tunc demum unumquemque ordinem cleri sæcularis et regularis præstitutum sibi finem consequi, quando alter alterius jura non lædit nec invadere conatur, et quisque muneribus et officiis suis intra limites sibi præscriptos sedulo fungitur.

VIII.

Quodsi episcopus dubitat, an regulares revera quidem privilegiis, quibus se frui contendunt, fuerint donati, vel anne latius quam par est usum eorumdem extendant, fas

ipsi est tenorem privilegiorum diligentius inspicere; et regulares ea Episcopo diœcesano omnino exhibere debent. Id patet inprimis ex juris communis textu (1), quo Alexander III Episcopo quærenti, qua libertatis seu exemptionis prærogativa uterentur Templarii et Hospitalarii, respondit : « Quamvis Templarii et Hospitalarii multa sint libertatis prærogativa donati, non dubitamus, quin aliam libertatem habeant in locis in qnibus, antequam pervenissent ad eos, fuerant habitatores : quod totum ex inspectione privilegiorum plenius advertere potes; et secundum quod inveneris, ita observes. Sic enim eos volumus privilegiorum suorum servare tenorem, quod eorum metas transgredi minime videantur. » Episcopo hic aperte asseritur facultas inspiciendi tenorem privilegiorum, quacum necessario cohæret obligatio regularium eadem exhibendi.

Perspicua quoque est in hanc rem Bonifacii VIII sententia, ubi ait : « Statuimus, ut hi, qui se asserunt per privilegia seu indulgentias Apostolicæ Sedis exemptos, a locorum Ordinariis requisiti, hujusmodi privilegia vel indnlgentias, quibus se dicunt fore munitos, ipsis Ordinariis... ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere, nec non de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere teneantur (2). »

Præterea conceptis verbis idem definivit Innocentius X, Apostolicis litteris *Cum sicut accepimus*, datis an. 1648, in causa Angelopoletana, *Jurisdictionis*, in Indiis occidentalibus novæ Hispaniæ (3). Exorta nimirum erant dissidia inter Episcopum Angelopoletanum et clericos regulares Societatis Jesu non tantum de munere prædicationis verbi Dei tam in propriis eorumdem clericorum regularium ecclesiis, petita solum Episcopi benedictione,

(1) *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 7. *Porro* (lib. V, tit. 33).

(2) *De privilegiis*, cap. 7. *Cum personæ, in Sexto* (lib. V, tit. 7).

(3) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. V, col. 457, edit. Luxemburgi, 1727.

quam in alienis ecclesiis, petita et obtenta ab eodem Episcopo diœcesano licentia; verum etiam de confessionibus laicorum audiendis, prævio examine vel approbatione Episcopi. Regulares illi hæc munera peragere sibi proprio jure licere contendebant, vi privilegiorum scilicet Societati Apostolica auctoritate concessorum.

Causa hæc ad Apostolicam Sedem delata fuit, ut, quid de ea observandum esset, statueretur. Summus Pontifex Innocentius X totum negotium particulari congregationi aliquot Cardinalium et Romanæ curiæ Prælatorum examinandum commisit; quæ congregatio propositis ab utraque parte dubiis respondit. Unum autem dibiorum his verbis propositum erat : *An regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus se habere privilegia, quominus obediant Episcopo in executione decretorum juris communis, concilii Tridentini et constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum?* Respondit S. Congregatio, *Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione.*

Alii ex dubiis, num. XIV proposito : *An privilegia, quæ sunt contra jurisdictionem Ordinarii, et quibus gaudent et gaudere prætendunt regulares prædicti, debeant Episcopis notificari sive insinuari?* Respondit eadem S. Congregatio : *Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint.* Ex quibus verbis merito quidem confici posse videtur, regulares, quum privilegiis uti velint quæ sunt contra Episcopi diœcesani jurisdictionem, obligatione teneri eadem ipsi exhibendi, etiam antequam exhibitionem ipse petiverit.

Ab eadem etiam S. Congregatione resoluta fuit quæstio, num. IV : *An in casu, quo regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, exhibeant aliqua privilegia, et Ordinarii judicent ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere, regulares præfati possint et debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel*

Digitized by Google

potius possint hoc casu eligere judices conservatores (1)? Respondit S. Congregatio: *Si verba privilegiorum sint obscura et ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum vel viciniorem Episcopum, nec Conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum.*

Ex hac resolutione patet, quando regulares vi privilegii aliquid facere volunt, quod jurisdictioni Episcopi diœcesani adversatur, hunc legitime posse *judicare*, num privilegium in proposito casu regularibus revera suffragetur; quod si judicet non suffragari, ipsi ab ejusmodi privilegii usu abstinere debent, donec S. Sedes de ea re sententiam dixerit.

Generatim, ubi privilegium aliquod est dubium vel ubi verba in eo continentur quæ exemptionem a jurisdictione Episcopi diœcesani non clare denotant, Episcopus habet *juris communis assistentiam*; nam ipse habet *intentionem in jure communi fundatam* exercendi jurisdictionem in quemcumque locum suæ diœceseos et in quascumque personas ecclesiasticas, imo in monasteria etiam et regulares ipsos, nisi de ipsorum exemptione *legitime constet.* Jam vero perspicuum est, de ea non legitime constare, ubi ipsum exemptionis sive privilegii instrumentum dubium est et incertum.

Porro, ut hæc aliaque responsa, quæ Sacra Congregatio in memorata causa dederat, firmius subsisterent et inviolabiliter observarentur, Episcopus Angelopoletanus Summum Pontificem rogavit, ut illa auctoritate Apostolica confirmare dignaretur. Episcopi votis annuit Innocentius X, et responsa auctoritate sua confirmavit et

(1) Conservatores sunt judices particulares, ad quos spectat eos, quibus sunt concessi, a molestiis et injuriis illatis tueri, et in rerum et jurium suorum possessione conservare. Hujusmodi conservatores, ut notat Pignatelli, *Consult. can.*, tom. X, *Consult.* 96, num. 8, regularibus dantur ad tuendum eorum personas, bona et jura, sub quibus eorumdem continentur privilegia, exemptiones et immunitates; a quo munere *Conservatores privilegiorum* solent nuncupari. Cfr. Mattheucci, *Officialis curiæ regularis*, cap. 11.

approbavit, illisque Apostolicæ firmitatis vim ac robur adjecit, et inviolabiliter observari mandavit. Palam igitur est, regulares quoscumque, qui privilegio aliquo nitentes, quidquam agere vel omittere contendunt quod juri communi, concilio Tridentino vel Apostolicis constitutionibus contrarium est, debere Episcopo sive Ordinario diœceseos, in qua degunt, exhibere integrum privilegium; et, ubi Episcopus verba privilegii dubia esse judicaverit, regulares privilegio illo uti non posse, priusquam dubium a Summo Pontifice sublatum sit. Hæc saltem certissima sunt, nisi regulares legitime probare possint, se post Innocentium X a Sede Apostolica privilegium alterum obtinuisse, quo eximantur ab obligatione privilegia sua in hujusmodi casibus exhibendi, et ab usu privilegiorum, quæ Episcopo dubia visa fuerint, abstinendi, donec Sedes Apostolica litem dirimat. Veruntamen de hujus generis privilegio nos quidem nullum vestigium hactenus reperimus.

CAPUT II.

DE ÆDIFICATIONE SEU ERECTIONE MONASTERIORUM ET ECCLESIARUM REGULARIUM.

§ I.

De necessitate consensus Ordinarii localis ad ædificationem monasteriorum et ecclesiarum regularium.

I. *Ex antiqua et nova Ecclesiæ disciplina constat, monasteria et ecclesias regularium non legitime construi, nisi ex consensu Episcopi diœcesani,*
II. *Et Romani Pontificis, saltem ex jure hodierno.*
III. *Regulares porro omnes hac lege comprehenduntur,*
IV. *Non tantum si res est de monasteriis proprie dictis, sed de aliis etiam locis regularium ædificandis.*
V. *Comprehenduntur ergo etiam ecclesiæ regularium.*

I.

Quod ex antiqua Ecclesiæ disciplina, sive conciliorum œcumenicorum constitutiones, sive particularium synodorum statuta respexeris, de erigendis monasteriis et ecclesiis monachorum aut regularium sancitum reperimus, illud itidem usque ad recentiora sæcula viguit, et hodierna ætate adhuc viget. Quid enim? OEcumenica synodus Chalcedonensis, anno 451 celebrata, jam tum constituit, can. 4, nemini fas esse monasteria aut ecclesias ædificare,

Digitized by Google

nisi ex consensu Episcopi diœcesani : « Placuit, neminem usquam ædificare nec construere monasterium aut oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi (1). » Synodus Carthaginensis, can. 4, statuit, ne quis monasterium ædificet, priusquam Episcopus crucem fixerit. Synodus Agathensis, habita 506, cavit can. 27 : « Monasterium novum, nisi Episcopo aut permittente aut probante, nullus incipere aut fundare præsumat (2). » Synodus Epaonensis, celebrata anno 517, can. 10, edixit : « Cellas novas aut congregatiunculas monachorum absque Episcopi notitia prohibemus institui (3). »

Hanc autem disciplinam decem prioribus Ecclesiæ sæculis fuisse generalem, merito quidem conficitur ex iis quæ præcedenti capite diximus de pristina jurisdictione Episcoporum in monachos et regulares.

Hodiernam vero Ecclesiæ disciplinam hac in re ab antiqua non differre, palam est tum ex Tridentina synodo (4), ubi ait : « Nec de cætero similia loca (monasteria) erigantur sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta ; » tum ex constitutionibus Summorum Pontificum, Clementis VIII, *Quoniam ad institutam* (5), Gregorii XV, *Cum aliàs* (6), et Urbani VIII, *Romanus Pontifex* (7). Hujus postremæ constitutionis partem priorem hic subjicimus, quia cæteris recentior est et ad antiquas regulas redeundum aperte declarat.

« URBANUS PP. VIII.

« *Ad perpetuam rei memoriam.*

« Romanus Pontifex, cui Salvator et Dominus Noster,

(1) Harduin. *Oper. cit.* tom. II, col. 602.
(2) Ibid. col. 1001.
(3) Ibid. col. 1049.
(4) Sess. 25, *De Regularibus*, cap. 3 in fine.
(5) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. III, col. 162, edit. Luxemburgi, 1727.
(6) Ibid. col. 464.
(7) Ibid. tom. IV, col. 61.

qui Caritas est et Deus pacis, universalis Ecclesiæ credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis a Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, et majoribus ex causis, quibus præsertim personarum sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium paci et quieti consulitur, litibusque ac controversiis inter eos obviam itur, revocat et immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis et providentiæ suæ studium interponit, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

» Cum itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiæ suæ sive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris per diversos Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum et aliorum Regularium Institutorum superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum monasteria, domos, collegia, conventus et alia loca regularia, quovis nomine nuncupata, servata dumtaxat SS. canonum et concilii Tridentini decretorum forma, *de sola Ordinarii licentia, seu etiam forsan non servata forma et absque licentia hujusmodi,* et contra decreta a Sede Apostolica super præmissis edita fundandi, erigendi et instituendi, importunis precibus, seu etiam motu proprio vel alias obtentæ et exortæ fuerint : idcirco Nos omnes et quascumque licentias et facultates hujusmodi litterasque desuper tam sub plumbo quam in hujusmodi forma Brevis desuper expeditas, earumque tenores etiam veriores, et dat. præsentibus, ac si specifice et singillatim exprimerentur et insererentur, pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus, motu pro prio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes et quascumque licentias et facultates hujusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque et singula in eis quomodolibet contenta et expressa, etiam quoad erectiones, fundationes et institu-

tiones monasteriorum, collegiorum, domorum, conventuum et aliorum locorum regularium hujusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore præsentium perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus et annullamus, viribusque et effectu prorsus evacuamus. »

» Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum et aliorum Institutorum regularium superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa et in alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis, ipso facto incurrendis pœnis interdicimus et prohibemus, ne licentiarum seu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum et annullatarum, sive alio quovis prætextu vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova monasteria, collegia, domos, conventus et alia loca regularia hujusmodi *nisi de expressa Ordinariorum licentia*, ac servata in omnibus et per omnia SS. canonum et concilii Tridentini necnon constitutionibus fel. record. Clementis VIII, quæ incipit *Quoniam ad institutam*, sub dat. Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 23 julii 1603, ac decretorum de mandato ejusdem Clementis necnon san. mem. Gregorii XV, Rom. Pont. prædecessorum desuper editorum forma, recipere, erigere, fundare seu alias quomodolibet instituere seu incepta finire et absolvere audeant seu præsumant. »

Liquet igitur, monasteria construi non posse nisi ex licentia Episcopi diœcesani; atque hæc licentia debet esse *expressa*, nec sufficit tacita, ut patet ex allatis verbis Urbani VIII.

II.

Magna quidem exstitit controversia, an in erectione monasterii præter consensum Episcopi diœcesani requirenda

etiam esset auctoritas Romani Pontificis? Sed non est cur in hac quæstione immoremur, quum Benedictus XIV (1) certiores nos reddat, receptam in tribunalibus Romanis sententiam esse, auctoritatem istam requiri, ubi ait : « Statuit S. Tridentina synodus, sess. 25, *de Regularibus*, cap. 3, ne monasteria seu domus tam virorum quam mulierum de cætero erigantur *sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta*. Hinc vero aliqui inferunt, ad erectionem novi monasterii in aliqua diœcesi sufficere licentiam Episcopi diœcesani, *absque eo quod Romani Pontificis auctoritas ad id requiratur*, et maxime ubi agitur de Episcopis ultra montes constitutis; propterea quod Innocentii X constitutio, quæ habetur num. 27, in Bullario Romano, tom. 4, quæque Romani Pontificis auctoritatem in hujusmodi erectionibus necessariam declarat, de Italia et adjacentibus insulis tantummodo loquitur. At, cum jampridem ante Tridentinum concilium regularibus interdicta fuerit novorum monasteriorum cquisitio sine expressa licentia Apostolicæ Sedis, ut videre est in cap. *Religionum*, § *Confirmatos*, *De religiosis domibus, in sexto*, et in cap. *Cum ex eo, De excessibus Prælatorum, eodem lib.* 6, satis patet, nihil a Tridentina synodo detractum fuisse ejusdem Apostolicæ Sedis auctoritati jam præcedenter stabilitæ; sed illud dumtaxat statutum fuisse, ut, præter eam, Episcopalis quoque auctoritas et licentia in iisdem erectionibus interveniret. Quare communis hodie et in tribunalibus recepta est opinio, non licere regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare sola Episcopi localis auctoritate; sed Apostolicæ Sedis licentiam præterea necessariam esse. »

Idem S. Sedes etiamnum requirere videtur; nam inter facultates Visitatori et Delegato Apostolico ordinum regularium in Ditione Belgica non ita pridem concessas reperitur facultas : « Licentiam impertiendi religiosis jam in

(1) *De Synodo Diœcesana*, lib. IX, cap. 1, num. 9.

communitate constitutis novitios ad habitum recipiendi, et expleto tyrocinio ad solemnem professionem admittendi ... *dummodo tamen monasterium aut conventus sit jam a S. Apostolica Sede approbatus.* » Unde palam est, prædictam S. Sedis auctoritatem pro monasteriis in Belgica ditione erigendis saltem generatim requiri. His tamen non obstantibus fieri posset, ut aliqui ordines regulares ex peculiari privilegio a petenda Sedis Apostolicæ licentia adhuc essent liberi. At hac libertate qui uti vellent, eam probare deberent.

III.

Verum quod ad licentiam Ordinarii loci attinet, quam concilium Tridentinum et Summi Pontifices modo laudati pro monasterii erectione requirunt, statui inprimis debet, istis legibus comprehendi omnes quotquot sunt regulares. Manifestum enim est, finem Summorum Pontificum in iis constitutionibus fuisse, ut decori et splendori omnium regularium ordinum consulerent, et obviarent incommodis, quæ non servatis prædecessorum suorum mandatis jam orta erant et facile inposterum oritura prævidebant. Atque ex hoc solo capite merito conficitur, prædictis constitutionibus omnes regularium ordines comprehendi.

Sed et ipsa constitutio Urbani VIII aperte id adstruit, quum agat de ordinibus etiam Mendicantium, Congregationibus, Societatibus et aliis Institutis quocumque nomine nuncupatis. Comprehenduntur igitur omnes ii qui religiosorum modo vivunt, etiamsi non sint approbatæ alicui regulæ adstricti, ut sunt clerici sæculares in congregationibus viventes. Et revera certum est, ante laudatis constitutionibus comprehendi omnes regulares exemptos, qui regulam a S. Sede approbatam profitentur. Alii vero, hoc ipso quod exempti non sunt et hujusmodi regulam non profitentur, Ordinario loci subjiciuntur; atque ita nulla

quidem ratione a petenda licentia Ordinarii liberi esse possunt in erectione monasterii, conventus vel domus.

IV.

Præterea in eadem etiam constitutione Urbanus VIII indicat, pro quibusnam regularium ædificiis Ordinarii licentia sit necessaria; memorat enim *monasteria, domos, collegia, conventus et alia loca regularia, quovis nomine nuncupata.* Disceptatum quidem fuit, an supra allatæ constitutiones etiam extendendæ essent ad regularium *hospitia;* verum nulla videtur adesse ratio, ob quam affirmaremus ea sine Ordinarii licentia ædificari posse. Quod idem quoque docet Benedictus XIV (1) his verbis : « Si res esset de aliquo simplici hospitio, quod pro regularium iter habentium commodo ædificari vellet, Episcopi localis licentia ad id sufficeret, etiam non accedente Apostolicæ Sedis auctoritate. »

V.

Quamvis in prædicta constitutione non fiat expressa mentio ecclesiarum regularium, hæ tamen satis clare ejusdem verbis continentur, quum de *quibuscumque regularium locis* agat. Estque communis Canonistarum sententia, hac constitutione ecclesiarum regularium æque ac monasteriorum constructionem intelligi. Insuper jure communi (2) jam cautum erat, ne regulares præter assensum Episcopi diœcesani ecclesias fundarent; verba enim Innocentii IV hæc sunt : « Auctoritate Sedis Apostolicæ

(1) *Loc. cit.*

(2) *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 14. *Cum olim.* et De privilegiis, *in Sexto*, cap. 4, *Auctoritate.*

de fratrum nostrorum consilio statuimus, quod oratoria vel capellas in locis non exemptis *sine diœcesanorum locorum ipsorum licentia* EXEMPTI construere non præsumant. »

Porro Episcoporum consensum, ut regulares ecclesiam quamdam construere possint, necessarium esse, etiam communis Doctorum sententia est (1).

Egregie id quoque confirmatur ex resolutione S. Congregationis Interpretum Concilii Tridentini, data in causa ELVEN. die 9 februarii anno 1754. Casus propositus hic erat : Abbas Ulissiponensis monasterii S. Benedicti in Elvensi diœcesi ecclesiam ædificari curaverat prope domum quæ ad ordinem S. Benedicti pertinebat, inconsulto tamen Elvensi Episcopo. Opere completo, abbas, etiam inconsulto Episcopo, ecclesiam benedixit, adscitis nonnullis sacerdotibus, qui sacra agerent in nova ecclesia etiam diebus festis, et populo SS. Eucharistiæ sacramentum ministrarent. Certior de his omnibus factus Episcopus Elvensis ecclesiam *interdixit*, et processum instituit adversus sacerdotes tum sæculares tum regulares, qui in eadem ecclesia Sacra egerant. Abbas contra hanc Episcopi agendi rationem Nuntium Apostolicum appellavit; Episcopus autem Summum Pontificem adiit, ac postulavit, ut ipse, audito Nuntio, causam definiret. Datis igitur ad Nuntium litteris, auditus fuit Episcopus, auditus fuit et abbas. Proponebat abbas et urgebat ordinis sui privilegia; Nuntius Apostolicus nihilominus rescripsit, se judice, Episcopum in ea re legitimo suo jure usum fuisse. Postquam Nuntius Apostolicus opinionem suam aperuisset, cognitio causæ ad S. Congregationem Concilii delata fuit, abbate jam monito a Nuntio, ut jura sua S. Congregationi proponeret; *sin minus resolutionem in ejus contumaciam captum iri.* Nono mense jam elapso, abbas nondum in jus venerat. Ad instantiam igitur Episcopi Elvensis hæc dubia S. Congregationi proposita fuerunt :

(1) Cfr. BARBOSA, *De officio et potestate Episcopi*, part. II, allegat. 26, num. 3, edit. Lugdun., 1698.

I. *An licuerit Abbati S. Benedicti civitatis Lisbonæ ecclesiam ruralem ædificare in villa de* Alandroal, *inscio Episcopo Elvensi, eamque solemniter benedicere, sacra peragere et sacramentum Eucharistiæ administrare in casu, etc., et quatenus negative.*

II. *An sustineatur interdictum latum ab eodem Episcopo, ita ut possit etiam prout de jure procedere contra sacerdotes sæculares et regulares, qui inibi celebrarunt aut celebrant in casu, etc.*

Respondit S. Congregatio : *ad primum, Negative; ad secundum Affirmative* (1).

Hæc omnia perspicue quidem probant, Episcopi diœcesani consensum requiri tam ad ædificandam ecclesiam, quam ad legitime construendum monasterium.

§ II.

De forma et solemnitatibus juris ab Ordinario servandis in concedenda licentia monasterium ecclesiamve regularium ædificandi.

I. *Sedes Apostolica potest, at non consuevit dispensare a solemnitatibus de jure servandis in ædificandis monasteriis vel ecclesiis regularium.*

II. *Ordinarius non potest legitime concedere licentiam erigendi novum monasterium, nisi vocaverit et audiverit regulares monasteriorum in vicinia jam existentium, vel nisi aliunde ipsi constiterit, regulares vicinos non magnum capturos esse detrimentum ex novi monasterii erectione.*

III. *Quod si regulares ea in re se per Ordinarii sententiam læsos esse existiment, appellare possunt ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium.*

(1) *Thesaurus resolutionum S. Congregationis Concilii*, tom. XXIII, col. 18, edit. Romæ, 1754.

IV. *Præter regulares vicinos vocari et audiri etiam debent* alii interesse habentes, *inter quos est parochus intra cujus parochiæ limites monasterium erigendum est.*

V. *Parochus tamen vix umquam impedire legitime potest erectionem monasterii.*

I.

Quamquam Sedis Apostolicæ licentia in construendis monasteriis sit expetenda, atque hæc sola supplere possit omnes solemnitates, consensum etiam Ordinarii, quæ per constitutiones Pontificias ad monasterium ædificandum requiruntur; non tamen consuevit S. Sedes hujusmodi licentiam impertiri, antequam informationem de utilitate novi monasterii construendi et de cæteris jure requisitis ab Ordinario loci obtinuerit; et siquando sine prævia informatione licentiam concedat, concessio fit ea lege, ut Ordinarius loci consentiat, eaque omnia servet, quæ a jure in ædificandis monasteriis servanda præscribuntur (1).

Hanc agendi rationem elegit S. Sedes, ut ecclesiasticæ disciplinæ optime esset consultum : ne scilicet turbaretur Ordinariorum localium auctoritas, et ne ipsis inconsultis in eorum diœcesibus quidquam fieret. Quinimo, quod Ordinarii consensum spectat, inprimis quidem merito ex jure communi deducitur, consensum istum requirendum esse, etiamsi Summus Pontifex in indulto ædificandi monasterium nullam de eo fecisset mentionem. Nam jure communi statutum est (2), religiosis viris, quibus a Sede Apostolica indultum est, ut possint ecclesias suo monas-

(1) Matthæucci, Ord. Min. *Officialis curiæ regularis*, cap. 12, num. 4, edit. Francofurti ad Mœnum, 1711.

(2) *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 19. *Pastoralis* (lib. V, tit. 33).

terio unitas, decedentibus viris quorum curæ sunt demandatæ, in proprios usus convertere, non licere in possessionem earum introire inconsulto Episcopo, nisi forte in indulgentia Summi Pontificis id contineatur expressum : « quia, inquit Innocentius III, per indulgentiam hujusmodi Episcopali juri non credimus derogari. »

Deinde animadverti debet, communiter receptam esse Pragmaticorum doctrinam, indultum sive privilegium hujus generis censeri esse concessum salvo jure Ordinarii, nisi contrarium exprimatur, et, quum sit odiosum, non debere extendi ultra id quod in eo continetur.

Unde sequitur, si regulares Apostolicum indultum impetraverint ædificandi monasterium, in quo expresse cautum non est ipsos liberos esse a petendo Ordinarii consensu, et Ordinarius judicet non expedire, e. g. ob grave aliorum detrimentum, ut religiosi viri indultum istud exequantur, ipsum posse executionem prohibere. Etenim non est verisimile, Supremum Principem id velle concedere, quod fieri non expedit; semper enim respicit æquitatem, et non vult nisi id quod in Ecclesiæ utilitatem cedit (1). Quinimo, si Ordinarius pertimescit, ne executio indulti vergat in grave aliorum detrimentum, aut alium habeat noxium effectum, ipsi non tantum licet ejusmodi indulti executionem prohibere, at potius ad id omnino tenetur; quia ipsius munus et officium est, damna aliosque noxios effectus, quos secuturos prævidet, pro viribus impedire.

Si tamen regulares indultum speciale a S. Sede impetravissent ad ædificandum in præfinito loco monasterium, et Ordinarius existimaret e re sacra esse istius executionem prohibere, hoc in casu opinaremur, regulas ecclesiasticæ disciplinæ omnino suadere, ut Ordinarius Romanum Pontificem de ea re certiorem reddat, eique rationes, ob quas executionem prohibuit, exponat. Quod si S. Sedes

(1) Cfr. *Controversiæ inter Episcopos et Regulares* Laurenti de Franchis, *atque observationes* Zachariæ Pasqualigi, part. I, num. 307.

non satis firmas haberet rationes ab Ordinario prolatas, ac iis non obstantibus executionem urgeret, sententiæ Summi Pontificis obtemperare tunc deberet Ordinarius, et monasterii ædificationem non diutius impedire.

II.

Ex iis quæ diximus jam patet, quoties de erigendo monasterio regularium agitur, Ordinarii localis auctoritatem ex jure necessariam esse, nisi Summus Pontifex contrarium expresse statuerit. Attamen in hujusmodi negotio Ordinarius auctoritatem suam non pro lubitu potest interponere; sed in concedenda vel neganda ea, de qua agimus, licentia formam et solemnitates a jure præscriptas observare debet. Reliquum igitur est ut inquiramus, quæ forma quæve solemnitates sint a jure præscriptæ.

Hac porro in re, præter jus commune et concilii Tridentini decreta, præsertim attendendæ sunt supra memoratæ constitutiones Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII. Jam vero in primis quidem Gregorius XV statuit, de hac re vocandos et audiendos esse religiosos superiores aliorum monasteriorum in vicinia existentium, nisi Ordinario aliunde constiterit novum erigendum monasterium sine aliorum detrimento commode sustentari posse. Ejus verba hæc sunt, § 3 : « De cætero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium cujuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis et Instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamsi de illis expressa et specifica mentio habenda esset, in quacumque civitate vel oppido seu quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres aut monachi seu religiosi inhabitare ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac priores seu procuratores aliorum monasteriorum, conventuum seu

domorum aliarum Religionum vel Congregationum aut Societatum seu Institutionum hujusmodi, non solum in prædictis sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati et auditi fuerint ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii, conventus seu domus regularis sic erigendi seu erigendæ, absque detrimento religiosorum in monasteriis seu domibus antea in civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse. »

Itaque omni in casu Ordinarius inquirere debet, an probabilis spes affulgeat, fore ut duodecim religiosi in erigendo monasterio ex reditibus et eleemosynis congrue possint sustentari, idque sine notabili detrimento aliorum religiosorum in eo loco vel in ejusdem vicinia jam existentium. Probe autem est animadvertendum, requiri, ut Ordinario *constet*, sine notabili aliorum detrimento novum monasterium erigi posse; quia aliter licentia, quam concederet, ex communi Jurisperitorum doctrina nulla foret, utpote concessa contra formam a jure præscriptam. Jam vero ex eo quod Ordinario *constare* debet, vicinos religiosos non magnum detrimentum capturos esse ex erectione novi monasterii, facile intelligitur, *regulariter* saltem, vocandos et audiendos esse regulares in vicinia habitantes.

III.

Si religiosi vocati Ordinario legitime probent, se notabile detrimentum capturos esse ex erectione novi monasterii, ipsi nulla lege tenentur ad consentiendum in ejusmodi erectionem, et Ordinarius petitam ab aliis licentiam ædificandi negare debet. Verum hi qui licentiam petiverant, si stare non velint judicio Ordinarii, jura sua experiri possunt coram S. Congregatione Episcoporum et Regularium.

Quod si contingat, ut allegatæ vicinorum regularium rationes ex judicio Ordinarii non satis probent detrimentum, et ipsi tamen renuant præstare consensum, tunc Ordinarius poterit, non obstante illorum dissensu, licentiam impertiri; quæ quidem licentia tum plane sufficiet ad construendum novum monasterium, nisi postea aliter a S. Congregatione Episcoporum et Regularium definiatur. Nam vicinis illis regularibus etiam jus est, ubi se per Ordinarii sententiam læsos esse existiment, ad prædictam S. Congregationem instituendi appellationem; quam si tempore utili et servatis de jure servandis interponant, totum negotium in suspenso manere debet, donec a S. Congregatione ea de re fuerit pronuntiatum. Hæc omnia Gregorius XV in laudata Constitutione luculenter expressit his verbis : « Si vero a decreto seu decretis per Ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc pro ea die qua appellatio interponetur, ea ad eamdem S. Congregationem (negotiis regularium præpositam) una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit ordinari, decernentes, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. »

IV.

Præter superiores monasteriorum Ordinarius vocare et audire debet *alios interesse habentes,* ut palam est ex eadem constitutione Gregorii XV, ubi ait, Clementem VIII decrevisse, « Ordinarios locorum licentiam ad novos conventus cujuscumque, præsertim Mendicantium, ordinis, in civitatibus et in locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos, impertiri non posse, nisi vocatis et auditis aliorum... conventuum prioribus seu procuratoribus *et aliis interesse habentibus.* »

Jam vero ex communi Pragmaticorum sententia (1) parochus, intra cujus parochiæ fines erigendum est monasterium, annumeratur iis quorum interest, si de monasterii ædificatione agitur; quia in ecclesia, quæ una cum monasterio ædificabitur, administrari poterunt sacramenta, aliaque plura fieri, ex quibus parocho præjudicium inferri possit. Atque adeo quidem ex Canonistarum doctrina necessarium est, et ita ad valorem concessionis pertinet, ut parochus vocetur et audiatur, ut, si nec vocaretur nec audiretur, licentiam nullam et irritam fore contendant.

His autem fere rationibus nituntur : 1° Ordinariorum potestas in concedenda licentia monasterium ædificandi non est absoluta, sed conditionata, pendens ab observantia formæ præscriptæ, ut constat ex verbis modo allatis constitutionis Gregorii XV. Etenim si Ordinarii non possunt impertiri licentiam nisi vocatis et auditis interesse habentibus, ubi hæc conditio deficit, potestas quoque deficit; atque adeo corruit licentia defectu potestatis in concedente. 2° In constitutionibus Pontificiis præscribitur forma servanda in concessione licentiæ; atqui forma non servata, corruit actus. 3° In iisdem constitutionibus continetur decretum irritans, quo irritum et nullum redditur quidquid fit in contrarium (2). Hæc porro non tantum probant, irritam fore licentiam quam Ordinarius, parocho

(1) Pignatelli, *Consultationes canonicæ*, tom. I, consult. 179, num. 31, edit. Coloniæ Allobrogum, an. 1700 ; Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, lib. III, tit. 48, num. 331, edit. Romæ, 1831 ; Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum universum*, lib. III, tit. 36, num. 35, edit. Ingolstadii, 1726 ; Pax Jordanus, *Elucubrationes diversæ*, lib. V, tit. 8, num. 39, edit. Coloniæ Allobrogum, 1729 ; Barbosa, *De officio et potestate Episcopi*, part. II, allegat. 26, num 5 ; Ventriglia, *Praxis notabilium rerum*, annotatione 18, § unico, num. 21, edit. Neapoli, 1649 ; Leurenius, *Forum ecclesiasticum, seu jus canonicum universum*, lib. III, tit. 48, quæst. 997, num. 3, edit. Augustæ Vindelicorum, 1737 ; Nicollis, *Praxis canonica*, tom. I, *De ædificatione ecclesiarum*, litt. E, § 1, num. 7, edit. Salisburgi, 1729 ; Card. Petra, *Commentaria ad Constitutiones Apostolicas*, tom. 1, in constit. II Paschalis II, num. 31.

(2) Cfr. Laureti de Franchis, *Oper. cit.*, part. I, num. 511.

inconsulto, sed illam etiam quam, regularibus vicinis inconsultis, impertiretur.

V.

Verum, etsi Canonistæ communiter doceant parochum loci de jure vocandum esse et audiendum, antequam Ordinarius licentiam monasterium ædificandi concedat, idque ad formam concessionis pertinere, opinamur tamen res ecclesiasticas hodie in plerisque provinciis ita esse comparatas, ut, si tantum agatur de erigendo monasterio, et non simul ædificetur ecclesia regularium, parochus vix umquam possit legitime monasterii erectionem impedire, quum non nisi perraro ex hujusmodi erectione vel ipse vel parochialis ecclesia notabile capere possit detrimentum.

At, ubi sermo est de ædificanda ecclesia regularium sive una cum monasterio, sive postquam ædificatum jam est monasterium et in eo jam introducti sunt regulares, res omnino aliter videtur decidenda; ut ex § proxime sequente patebit.

§ III.

De jure parochi, intra cujus parochiæ fines ecclesia regularium est ædificanda.

I. *Ordinarius vocare et audire debet parochum loci, antequam regularibus licentiam concedat ecclesiam ædificandi.*

II. *Ut impedire possit parochus, ne ecclesia regularium ædificetur, necesse est ut prudenter prævideatur grave dam-*

num ex istius ædificatione inferendum esse suæ parochiali ecclesiæ.

III. *Sententia Canonistarum est, quæ decisione S. Rotæ Romanæ confirmatur, grave damnum ecclesiæ parochiali inferri posse ex diminutione concursus populi ad parochialem ecclesiam, quæ sequatur ex ædificatione novæ ecclesiæ regularium.*

IV. *Illud præsertim verum est hodiernis temporibus, in nostra aliisque circumvicinis provinciis, ubi pleræque ecclesiæ parochiales certis redditibus fere carent.*

V. *Nec obstat, magistratum civilem constituisse annuam pensionem Ecclesiæ ministris,*

VI. *Et cavisse, ut, si constet redditus parochialis ecclesiæ divino cultui persolvendo non esse sufficientes, ex ærario publico compleantur.*

VII. *Ecclesia parochialis grave etiam damnum capere ex eo potest, quod ex ædificatione ecclesiæ regularium donationes* inter vivos *aut* mortis causa, *quæ in illam conferri consueverant, notabiliter imminuantur.*

VIII. *Grave damnum* temporale, *prout illud in jure accipitur, sufficit ad impediendam ædificationem ecclesiæ regularium.*

IX. *Summatim traduntur ea, quæ Ordinarius observare debet in concedenda vel neganda licentia ædificandi monasterium vel ecclesiam regularium.*

X. *Si contingat a sententia Ordinarii appellari, quænam ratio et methodus tunc servanda est, ut appellatio legitime interponatur.*

XI. *Quid juris, si regulares, neglectis SS. Canonum statutis et Summorum Pontificum constitutionibus, monasterium, ecclesiam vel alium* locum regularem *ædificent; et quasnam pœnas ecclesiasticas tunc* ipso facto *incurrant?*

Digitized by Google

I.

Antequam inquiramus, quandonam parochus ædificationi ecclesiæ regularium contradicere legitime possit, monuisse juvabit, jure communi (1) cautum esse, ne ulla ecclesia in præjudicium alterius ecclesiæ, præsertim parochialis, ædificetur. Atqui ex jurisperitorum sententia certum est jus commune *favorabile* esse, quia in favorem boni publici conditum est. Unde sequitur, derogationem juris communis, utpote odiosam, non agnosci debere, nisi ea perspicue ex verbis Summi Principis possit probari. Verum tantum abest ut Summi Pontifices, speciatim ii qui de erectione ecclesiarum aliorumque regularium locorum tractarunt, constitutionibus suis juri communi derogaverint, ut potius idem enixe confirmarint. Nam ex iis quæ antea diximus, jam constat, Urbanum VIII, constitutione *Romanus Pontifex,* apertis verbis sancivisse, ne construantur monasteria... *et alia loca regularia quovis nomine nuncupata* (quibus procul dubio comprehenduntur regularium ecclesiæ), nisi servatis in omnibus et per omnia *sacrorum canonum*, concilii Tridentini et prædecessorum suorum decretis.

Statim vero ac agnoscitur, fas non esse ut ecclesia regularium in præjudicium parochialis ecclesiæ ædificetur, agnoscendum quoque est, parochum legitime posse ecclesiæ suæ jura vindicare, siquando hæc per istiusmodi ædificationem in discrimen vocentur aut lædenda prævideantur. Atqui vidimus, idem sancitum esse in constitutione Gregorii XV, *Cum aliàs*, ubi mandat vocandos et audiendos esse *interesse habentes* in ædificatione monasteriorum, sive (ut ex communi Canonistarum sententia confecimus) regularium ecclesiarum. Manifestum enim est, interesse habentibus annumerari debere parochum, in cujus paro-

(1) *De novi operis nuntiatione*, cap. 1, *Intelleximus* (lib. V, tit. 32).

Digitized by Google

chia ecclesia est erigenda, idque præsertim ob damnum quod ecclesia sua ex ea ædificatione capere possit. Quod si parochus annumeratur iis quorum interest, etiam erga ipsum eadem forma eædemque solemnitates servari debent, quæ erga cæteros interesse habentes servandæ præscribuntur; atque adeo parochus jure suo exigit ut vocetur et audiatur, quoties jus istud aliis interesse habentibus ex constitutionibus Summorum Pontificum competit.

Nec quis existimet, jura et SS. Canonum interpretes hic agere de parocho dumtaxat, qui beneficium parochiale in perpetuum habet, non autem de illo, qui dicitur *ad nutum amovibilis*, hoc est, qui *ex gravi causa*, etsi ea non sit in jure expressa, amoveri potest. Nam jus commune inprimis constituit, ut § sequenti patebit, ne ecclesia in alterius, præsertim parochialis ecclesiæ damnum ædificetur; neque definit necesse esse, ut parochus ecclesiæ præfectus sit *ad tempus* vel in perpetuum. Et revera, num per regularium ecclesiæ ædificationem parochialis ecclesia forsitan minus damnum caperet, si istius rector ad nutum Ordinarii amoveri possit, quam si amoveri nequeat nisi in casibus a jure expressis? Præterea Summi Pontifices jubent, ut vocentur et audiantur *interesse habentes*; jamvero iterum perspicuum est, ubi de ædificanda regularium ecclesia agitur, parochi *amovibilis* ipsiusque ecclesiæ tanti interesse posse, quanti rectoris *perpetui*. Atque ex his jam efficitur, quare SS. Canonum interpretes, ubi de hoc parochorum jure agunt, ne verbo quidem distinguant inter parochos prioris et posterioris generis.

II.

His præmonitis, quæri jam debet, quibusnam in casibus parochus possit legitime et cum effectu, ut aiunt, contradicere erectioni ecclesiæ regularium, ita quidem ut, parocho invito, Ordinario fas non sit regularibus impertiri licentiam ædificandi ecclesiam?

Ut quæstio hæc recte solvatur, ante omnia ponderari debet damnum, quod, omnibus perpensis, ex hujusmodi ædificatione prævidetur inferendum ecclesiæ parochiali. At sedulo observandum est, etsi jura vetent ne in præjudicium parochialis ecclesiæ alia ædificetur, juris tamen sententiam non esse, a parocho propter ecclesiæ suæ præjudicium quodcumque, etiam leve, impediri posse alterius ecclesiæ constructionem; nam leve præjudicium æstimari non solet. Necesse igitur est, ut damnum, quod prævidetur, vere sit grave. At quandonam in hoc rerum genere damnum haberi debeat grave, jura non definiverunt; quapropter Ordinarius illud ex bono et æquo dijudicare debet, habita præsertim ratione doctrinæ a jurisconsultis in hanc rem traditæ, et decisionum etiam causarum, quæ in similibus negotiis a supremis tribunalibus emanarunt.

III.

Age vero, ubi SS. canonum doctores consulimus, perspicuum fit, ipsos in ea esse sententia, considerari omnino debere damnum, quod ecclesiæ parochiali, intra cujus limites ecclesia est ædificanda, prævidetur inferendum, potissimum ex eo capite, quod per istam ædificationem fieri possit, ut concursus populi in parochiali ecclesia diminuatur; quo diminuto, eleemosynæ et oblationes etiam diminuuntur, quæ a Christi fidelibus in parochiali ecclesia solent offerri. Ubi igitur prudenter prævideri potest futurum, ut per novæ regularium ecclesiæ erectionem concursus populi ad parochialem ecclesiam ita diminuendus sit, ut eleemosynæ et oblationes consuetæ notabiliter in eadem sint diminuendæ, et ex ista diminutione ecclesiæ parochiali grave inferretur præjudicium, in hoc casu, inquam, Canonistæ constanter docent, parochum legitime posse erectioni novæ regularium ecclesiæ

contradicere, atque Ordinarium, parocho invito, non posse regularibus licentiam ædificandi præbêre.

Et ne videamur in re tanti momenti Canonistarum auctoritatem parum considerate laudare, sententiam aliquorum Doctorum, qui in hac materia bene versati passim existimantur, ad verbum hic describere juvat.

Pignatelli (1), agens de monasteriorum et ecclesiarum erectione, primo quidem sic loquitur : « Exigitur pernecesse consensus parochi sive capituli, penes quod residet cura animarum, intra cujus parochiæ limites conventus ædificandus est, sine quo ædificari non potest; nam cum in nova ecclesia sepeliri debeant fidelium corpora, ministrari sacramenta, aliaque plura fieri, ex quibus generari potest præjudicium parocho, illius consensus ita est necessarius, ut absque eo fundatio novi monasterii non sustineatur, ut late firmant citatæ decisiones *in* CÆSARAUGUSTANA, *Fundationis*, coram Bevilaqua, Meltio, Cerro, et in dicta TOLETANA, *Manutentionis*, coram Meltio. » Deinde hæc addit (2) : « Ubicumque adest periculum diminutionis concursus, ac proinde præjudicii, parochi sunt legitimi contradictores. »

Barbosa (3) ait : « In concedenda hujusmodi licentia (ædificandi monasterium aut ecclesiam regularium) debet Episcopus maxime attendere, si monasterium aut alterius cujuscumque erectio præjudicet quoquo modo ecclesiæ parochiali; eo namque casu assentiri minime debet; et curato licet contradicere, audiendusque est in sua prætensione, ex Guidonis Papæ *decis.* 370. »

Ventriglia (3) : « Debet Episcopus, inquit, in concedenda licentia novæ erectioni loci regularium observare et attente inspicere, si monasterium aut alterius cujuscumque erectio præjudicet quoquo modo parochiali ecclesiæ; nam in tali casu debet omnino Episcopus vel

(1) *Loc. cit.*
(2) Num. 56.
(3) *Loc. cit.*
(4) *Loc. cit.*

alius Ordinarius licentiam denegare. Immo parochus in hac nova erectione est audiendus pro suo interesse, et etiam vocandus juxta dispositionem citatæ constitutionis Clementis VIII, mandantem non posse locorum Ordinarios hujusmodi licentias in prædictis novis erectionibus concedere, nisi vocatis et auditis regularibus ejusdem loci et aliis interesse habentibus; ex his enim qui possent habere interesse in dictis novis erectionibus, ultra regulares alios, principalis est parochus, propterea audiendus, ut tenet Campanila in *Diversorio jur. canon.* rub. 12, cap. 13, sub num. 81; Ricci, *Decis.* 131, num. 1, part. 4. »

Neque ab hac Canonistarum doctrina differt S. Rotæ Romanæ sententia, ut liquet ex decisione, quam dedit in una Januen., *Privilegiorum,* die 24 januarii 1648, coram Rojas (1), qua judicata fuit causa, cujus facti species hæc erat : Cum patres Theatini civitatis Januensis jam præfecti erant ecclesiæ parochiali S. Siri, in eaque residerent, patres Oratorii S. Philippi Nerei in ecclesia S. Pancratii, quæ sita erat in vicinia ecclesiæ S Siri, recipi et residere conabantur. Patres Theatini huic receptioni et residentiæ contradixerunt; quæ res ubi ad tribunal S. Rotæ delata esset, resolutum fuit, non licere patribus Oratorii residere in ecclesia S. Pancratii. Inter alias rationes decidendi « consideratum fuit, maximum detrimentum fore allaturum patribus Theatinis, si presbyteri Oratorii residerent in ecclesia S. Pancratii, quæ non distat ab ecclesia S. Siri spatio 140 cannarum. Quo stante, diminueretur concursus populi in prædicta ecclesia S. Siri, et consequenter eleemosynæ, quæ ex Christi-fidelium concursu uberiores fiunt erga patres Theatinos ex illis viventes; ita ut ex diminutione dicti concursus et eleemosynarum diminuerentur etiam alimenta Theatinis ex eisdem provenientia, quod lex abhorret.

« Non obstat (ita S. Rota loqui pergit), quod patres Ora-

(1) Cfr. Pignatelli, *Oper. cit.* tom. X, consult. 12, num. 18 et seq.

torii habeant proprios redditus a fundatore assignatos; quia non ab eorum sed a Theatinorum egestate præjudicium desumitur, et sufficit omne præjudicium aliunde etiam quam ex mendicitate seu quæstuatione ecclesiæ vicinæ resultans. »

Si hæc probe considerantur, apertum est, Canonistarum et S. Rotæ sententiam esse, per ædificationem ecclesiæ regularium grave damnum parochiali ecclesiæ inferri posse, idque propter fidelium ad parochialem ecclesiam concursus diminutionem, quæ ex ista ædificatione sequitur; atque ideo parochum in tali casu esse legitimum contradictorem.

Neque necesse est hic aliorum Doctorum verba proferre; nam quum agnoscant parochum a jure annumerari iis qui interesse habent in ædificatione ecclesiæ regularium, eumque propterea audiendum esse, antequam Ordinarius impertiri possit licentiam ædificandi ecclesiam, hoc ipso idem teneant necesse est, quod ab aliis aperte doceri allatis ipsorum verbis audivimus.

IV.

Ad hæc animadvertere præstat, si ex communi Canonistarum doctrina, multis quidem ecclesiasticorum tribunalium sententiis confirmata, fieri possit ut ecclesia parochialis ex ædificatione ecclesiæ regularium ob diminutionem concursus fidelium tantum capiat detrimentum, ut parochus contradicere atque legitime impedire hujusmodi ædificationem queat, quanto magis hodiernis temporibus in nostris aliisque vicinis provinciis ecclesiasticis jus istud parocho competat? Nam eo tempore, quo a Summis Pontificibus hoc jus sancitum fuit, et jurisperiti illud explicaverunt, parochiales ecclesiæ generatim erant satis dotatæ, ut redditibus fixis, ex bonis immobilibus plerumque provenientibus, abunde esset provisum

omnibus iis, quæ ad divinum cultum perficiendum, ad reparandam ecclesiam, et ad ejusdem ministros honeste sustentandos necessaria erant; at contra hodiernis temporibus ea omnia fere ex solis eleemosynis et fidelium oblationibus pro parochiali ecclesia quæri debent. Nemo enim ignorat, sæculo elapso ad finem vergente parochiales ecclesias in universo Gallicanæ reipublicæ territorio spoliatas fuisse omnibus bonis, non tantum mobilibus et immobilibus, quæ ad ecclesiæ fabricam, ut aiunt, pertinebant, sed et iis quæ beneficiorum, etiam simplicium, vel fundationum dotem constituebant, aliisque universis quæ in sustentationem parochi aliorumque ministrorum erant acquisita. Civilis magistratus bona ista fere omnia vendiderat, vel hospitalibus aliisve institutis civilibus in pauperum subsidium addixerat, quum de restituendis bonis, quæ nondum fuerant alienata, cogitaret. Nihil mirum igitur, statum parochialium ecclesiarum, si paucas excipias, in his regionibus hodie adhuc esse miserum, et parochos debere omnem curam ac sollicitudinem impendere, ut ecclesiæ reparationi, sacræ supellectili, custodis et cantorum sustentationi, cæterisque ad divinum cultum necessariis providere possint. Quid enim? Quinam sunt præcipui fontes, e quibus redditus ecclesiarum parochialium hodie proveniunt? Si non ad unum omnes, saltem longe major parochorum pars fatebitur, redditus præcipuos ecclesiis suis venire ex locatione subselliorum in æde sacra et ex oblationibus seu eleemosynis quas fideles inter sacrorum solemnia offerunt; qui redditus si notabiliter minuerentur, divinus cultus non posset amplius, ut decet, in plerisque parochialibus ecclesiis persolvi. Et ne temere hæc affirmavisse videamur (nam in re tanti momenti summa prudentia opus est), lectorem rogamus, ut consulat statum activum et passivum, quem vocant, parochialium ecclesiarum, præsertim datorum et acceptorum rationem, quam parochus quilibet singulis annis Ordinario suo reddere debet. Inde hæc omnia explorata habebit.

Age porro redditus hujus generis sunt omnino acciden-

tales, et prorsus a concursu fidelium ad parochialem ecclesiam pendent. Itaque ubi regulares in vicinia vel prope ædem parochialem ædificare volunt ecclesiam, in qua statis horis missæ celebrarentur, verbum Dei prædicaretur, Eucharistiæ ac Pœnitentiæ sacramenta administrarentur, et parochus prudenter prævideat fidelium concursum ad ecclesiam suam per ædificationem istam ita diminutum iri, ut inde grave eidem ecclesiæ inferendum esset damnum, in his rerum adjunctis, inquam, parochus, secundum ea quæ superius diximus, hujusmodi erectioni se opponere legitime potest. Quin imo, si ita comparatus est status suæ ecclesiæ, ut propter diminutionem concursus pertimescere debeat, ne expensis pro divino cultu necessariis inposterum providere queat, non tantum ipsi jus est, sed et officium et grave munus, erectionem ecclesiæ regularium totis viribus impedire; nam vi officii sui jura ecclesiæ suæ tueri debet, non enim dominus, sed probus defensor est et vindex jurium ecclesiæ cui præpositus est; neque ei fas est permittere, ut se conscio aliquid fiat quod de jure fieri prohibitum est, et ex quo ecclesia sua grave detrimentum caperet.

V.

Etsi hæc clara sint atque perspicua, in mentem tamen alicui venire posset, nos plus æquo miserabilem statum ecclesiarum parochialium exaggeravisse, quandoquidem magistratus civilis in compensationem bonorum quæ ecclesiis et parochis præripuit, non tantum annuam pensionem constituit ecclesiæ ministris, verum etiam expresse cavit, ut, si constet, redditus parochialis ecclesiæ minores esse quam ut divinus cultus, ut par est, perfici possit, ex ærario publico civitatis vel pagi, in quo sita est parochialis ecclesia, quod deest, suppleatur (1).

(1) Cfr. *Décret réglementaire des fabriques du 30 décembre 1809, art. 92 :*

Verumtamen, quod inprimis annuam pensionem attinet, quam magistratus civilis parochis addixit, peto, an hæc tanta sit, ut, si ex ea honestæ suæ sustentationi provideant, superflua habere possint, quæ in ecclesiæ reparationem aliaque ad divinum cultum necessaria impendant? Id nemo quidem affirmaverit. Sed præterea (et hoc sedulo observari debet) parochus est pater pauperum; ipsum præ cæteris eleemosynæ quæritandæ gratia conveniunt pauperes et manifesti, et non manifesti ac verecundi, qui plerique nemini nisi soli parocho egestatem suam patefacere audent. Quotiesne, dum sacramenta, *exeuntium* præsertim, administrat, infirmorum egentium inopiam beneficio levare debet? Nonne crebro accidit, ut corporali pauperum indigentiæ succurrendo, viam sibi sternere debeat, qua spiritualibus eorum necessitatibus subvenire possit? Atque hac in re parochorum conditio recentioribus temporibus etiam multum est immutata; nam ante perturbatam rempublicam Gallicanam in his regionibus ubique locorum erant *Mensæ Spiritus Sancti*, quarum bona in subsidium pauperum impendebantur; distributio eleemosynarum, ex his bonis provenientium, præ cæteris ad parochum pertinebat, eaque ipsi primo loco deferebatur; et, sicubi magistris sive administratoribus Mensæ per consuetudinem hæc distributio delata esset, cautum tamen eo in casu erat, ut ipsi in hujusmodi distributione parochum saltem consulerent et audirent (1).

« Les charges des communes, relativement au culte, sont : 1° de suppléer à l'insuffisance des revenus de la fabrique pour les charges portées en l'article 37 ; 2° de fournir au curé ou desservant un presbytère, ou, à défaut de presbytère, un logement, ou, à défaut de presbytère et de logement, une indemnité pécuniaire ; 3° de fournir aux grosses réparations des édifices consacrés au culte. » Cfr. insuper, *Loi communale avec les rectifications ordonnées par la loi du 3 mai* 1836, art. 131 : « Le conseil communal est tenu de porter annuellement au budget des dépenses toutes celles que les lois mettent à la charge de la commune, et spécialement les suivantes :... 9° Les secours aux fabriques d'église et aux consistoires, conformément aux dispositions existantes sur la matière, en cas d'insuffisance constatée des moyens de ces établissements. »

(1) Cfr. *Statuta in synodis Episcopatus Yprensis*, Synodus diœcesana

Si quis cum iis hodierna parochorum jura comparat, plane videt quantopere in parochorum detrimentum mutata sint; bona enim pauperum legibus mere civilibus hodie reguntur, et velut magna gratia est ac insignis favor, siquando parochus eligatur membrum collegii, quod regundis et distribuendis pauperum bonis constitutum est. Tantum abest, ut, sicut olim, ita hodie posset parochus pro cujusque necessitate et inopia ex bonis pauperum eleemosynas elargiri!

Hæc profecto abunde probare videntur, si parochus ex pensione a magistratu civili obtenta, vel ex aliis etiam emolumentis accidentalibus, quæ vi muneris sui acquirit, aliquid habeat honestæ suæ sustentationi superflui, æquum non esse, ut pauca hæc residua, esurientibus suis filiis neglectis, in reparationem ecclesiæ suæ vel aliter in divinum cultum impendat. Atque hæc etiam Ecclesiæ mens esse videtur, quum nusquam sacris canonibus cautum esse reperiatur, ut parochus in ejusmodi rerum adjunctis, quæ sibi superflua sunt, ad ecclesiam suam sartam tectam servandam aut ad alia divino cultui necessaria procuranda ferre debeat. Pensio igitur, quam magistratus civilis parochis decrevit, non efficit quo minus miserabilis esse pergat parochialium ecclesiarum status.

Et quod ipsorum parochorum temporalem conditionem spectat, ne hæc quidem ita in tuto est per constitutionem pensionis, quemadmodum illud primo obtutu videri posset. Nam quamdiu res civilis et politica prospere procedit, pensiones istæ solvuntur; sed ubi adversa fortuna premeretur, aut discordiæ in republica versarentur, aut perturbationes in ea concitandæ essent (quod ob multitudinem hominum in Civitatem et Ecclesiam male affectorum hodiernis temporibus accideret non ita inopinato),

sub Masio, an. 1609, tit. 20, cap. 16, edit. Antverpiæ, 1673; item *Decreta et statuta omnium synodorum diœcesanarum Namurcensium*, Synodus diœcesana sub Ferdinando comite De Berlo De Brus, an. 1659, tit. 22, cap. 6, edit. Namurci, 1720.

Digitized by Google

statim periculum immineret, ne pensio illa amplius solveretur. Imo, etiam ubi respublica continuo pacata et quieta maneat, nonne aliquando accidit, ut imperium civile comminando privationem pecuniarii subsidii aliquid clero præcipiat aut prohibeat, cui is obtemperare nequit, quia obedire magis oportet Deo quam hominibus?

VI.

At jam videamus, quomodo parochialium ecclesiarum statui consultum sit dispositionibus legum civilium, quibus reapse cavetur, ut deficientes earumdem redditus ex ærario publico compleri debeant.

Hic autem in primis notandum est, legum civilium expressam esse sententiam, requiri, antequam defectus ita compleatur, ut *constet*, redditus fabricæ parochialis ecclesiæ divino cultui persolvendo non sufficere; verum cuinam id secundum leges civiles constare debet? an parocho? an collegio æditUorum? an Episcopo? Etiamsi illud his omnibus luce clarius esset perspectum, nihil adhuc foret effectum; necesse enim est ut istud constet consilio municipali (1), quod deliberare debet, an liqueat fabricæ redditus non sufficere. Et ubi eos non sufficere deprehenderit, omnia et singula quæ ad divinum cultum necessaria sunt ad trutinam revocare poterit, et inquirere, an parochus cum æditUis non liberalius quam par erat, v. g. luminaria, thus, paramenta sacra, etc., adhibuerint? an non parcius inposterum his omnibus uti possint (2). Si Patres Munici-

(1) Cit. *Décret réglementaire*, art. 93 : « Dans le cas où les communes sont obligées de suppléer à l'insuffisance des revenus des fabriques pour ces deux premiers chefs, le budget de la fabrique sera porté au conseil municipal, dûment convoqué à cet effet, pour y être délibéré ce qu'il appartiendra. » Cfr. *cit. art.* 131, *Loi communale.*

(2) *Décret réglementaire*, art. 96 : « Si le conseil municipal est d'avis de demander une réduction sur quelques articles de dépense *de la célébration du culte*, et dans le cas où il ne reconnaîtrait pas la nécessité de l'établissement d'un vicaire, sa délibération portera les motifs. »

pales, cognita causa, arbitrentur, aliquo modo reduci posse expensas, quæ in divino cultu persolvendo fieri consueverant, ea qua gaudent auctoritate, parocho et collegio æedituorum significabunt, si inposterum parsimoniæ studeant, et non tantam impendant pecuniæ summam v. g. pro luminaribus, paramentis sacris, etc., ipsos defectum prædictum complere facile quidem posse sine recursu ad ærarium publicum. Paternæ hujusmodi admonitioni parere possunt æditui, sed interea ne obulum quidem ad defectum suppleudum recipient; sin vero collegium æedituorum existimet, sententiam consilii municipalis esse iniquam, jure suo Ordinarium sive Episcopum appellabit (1). At si Ordinarii sententia non conveniat cum ea quam dixit senatus municipalis, senatus altius tribunal *civile* petere poterit, anteqnam ad complendum memoratum defectum adigatur (2). Præterea, quot media et effugia consilium municipale ad manum habet, quibus supremæ etiam in republica civili auctoritatis jussiones in hoc rerum genere prorsus eludere vel ad longum tempus earumdem executioneu deferre saltem possit? Et quo major pecuniæ summa ad defectum reddituum parochialis ecclesiæ supplendum requiratur, eo plura et

(1) *Art. cit.* : « Toutes les pièces seront adressées à l'évêque, qui prononcera. »

(2) *Art.* 97 : « Dans le cas où l'évêque prononcerait contre l'avis du conseil municipal, ce conseil pourra s'adresser au préfet (aujourd'hui, en Belgique, à la députation permanente du conseil provincial et au roi), et celui-ci enverra, s'il y a lieu, toutes les pièces au ministre des cultes, pour être par nous, sur son rapport, statué en notre conseil d'État ce qu'il appartiendra. » *Loi communale*, art. 133 : « Dans tous les cas où les conseils communaux chercheraient à éluder le payement des dépenses obligatoires que la loi met à leur charge, en refusant leur allocation en tout ou en partie, la députation permanente du conseil provincial, après avoir entendu le conseil communal, portera d'office la dépense au budget dans la proportion du besoin.

« Le conseil communal pourra réclamer auprès du roi, s'il se croit lésé.

« Si le conseil communal alloue la dépense, et que la députation permanente la rejette ou la réduise, ou si la députation, d'accord avec le conseil communal, se refuse à l'allocation ou n'alloue qu'une somme insuffisante, il y sera statué par un arrêté royal. »

efficaciora consilio municipali erunt media tergiversationis.

Nec quis nobis opponat, nos in tota hac argumentatione hypothesibus niti, quæ forsitan numquam aut non nisi raro ad effectum deducuntur. Diuturna enim experientia hypotheses istas ita confirmavit et in dies confirmat, ut jam veluti certæ theses haberi possint.

Sed hoc etiam dato, non tamen concesso, hodie ubique locorum senatus tam urbanos quam paganos in Ecclesiam optime esse affectos, ipsosque accurate et bona fide leges civiles hac in re exequi et defectum reddituum, de quo agimus, dum parochi et æditui illud rogant, supplere nulla interposita vexa; semper tamen verum erit, hunc modum divino cultui providendi esse valde precarium ac incertum, et non tantum iisdem, sed et multis aliis subesse vicissitudinibus, quas de pensione parochorum mox significabamus. Perspicuum igitur est, etiam ex hoc capite ecclesiis parochialibus non esse satis consultum.

VII.

Quæ cum ita sint, merito quidem conficimus, Ecclesiæ mentem non esse, ut per regularium ecclesiæ erectionem adeo diminuatur concursus fidelium ad ædem parochialem, atque ita tantum eidem inferatur damnum, ut parochus ad necessitatem adigatur implorandi ex ærario publico pecuniarium subsidium ad ecclesiam suam reficiendam, vel ad alia divino cultui maxime necessaria procuranda; dura enim et acerba est hæc necessitas, quæ omni ex parte incommoda non levia secum fert.

Verum parochi et ecclesiæ parochiales non solum grave detrimentum capere possunt ex ædificatione ecclesiæ regularium ob diminutionem concursus, atque ideo ob diminutionem fructuum, quos locatio subselliorum in æde sacra et eleemosynæ, quæ offeruntur intra sacrorum so-

lemnia, producunt; at ejusmodi damnum etiam ex eo nasci potest, quod pii et ditiores parochiani, qui devotionis causa, et sæpe parochialis ecclesiæ paupertate moti, quotannis aut data opportunitate munus quoddam pecuniæ vel aliam donationem *inter vivos* aut *mortis causa* eidem afferunt, per erectionem ecclesiæ regularium a frequentatione ædis parochialis non raro avocentur; et proinde munera, quæ parochiali ecclesiæ offerre consueverant vel constituerant, in regularium ecclesiæ subsidium conferant, ut identidem fieri certum est.

Præterea hujus generis homines parocho etiam sæpius eleemosynas pauperibus distribuendas concredunt, quod certiores sint, pauperes continuo ad parochos convenire, et hos non habere quo tot egentium inopiam levent. Jam vero, ubi regularium ecclesia ædificatur, hujusmodi homines affectus suos non raro in alios convertunt, et cum affectibus eleemosynas suas transferunt. Unde ex hoc etiam capite non leve detrimentum per ædificationem ecclesiæ regularium capere possunt tum parochiales ecclesiæ, tum ipsi parochi et pauperes parochiani.

Atque hæc iterum certa experientia nixi, non leviter affirmamus; et hanc in rem non solum parochorum, qui ecclesiam regularium in suis parochiis jam habent erectam, sed et vicinorum, et, si fieri posset, ipsorum etiam hominum, qui ex occasione erectionis ecclesiæ regularium parochialem ædem dereliquerunt, testationem adeo fidenter invocamus, ut non vereamur ne quis sincere nobis contradicat.

Ne tamen ex his quis efficiat, nos id ægre ferre, quod pii Christi fideles regularium ecclesiæ jam erectæ aliquid dono donent. Ea profecto non est mens nostra; sed id unum ex his omnibus probare contendimus, quando agitur de ecclesia regularium erigenda, ponderari etiam debere damnum, quod hic significamus, et quod verisimiliter ecclesiæ parochiali inferri potest, quia per erectas regularium ecclesias ut plurimum jam inferri consuevit; illudque præsertim ponderandum esse ob miserabilem

Digitized by Google

statum, in quo parochiales ecclesiæ nostræ his temporibus versantur, et ob exiguam pecuniæ summam, quam parochi in pauperum levamen impendere queunt.

VIII.

Iis, quæ hactenus diximus de gravi damno quod ecclesia parochialis et parochus capere possunt ex erectione ecclesiæ regularium, aliquis forsitan opponere vellet, nos in toto hoc negotio nihil aliud fere respicere, quam damnum *temporale* unius alteriusve parochialis ecclesiæ, et nullam nos habere rationem boni *spiritualis*, quod per erectionem ecclesiæ regularium procuratur.

Ad hæc respondemus: 1° nos hac in re respexisse omne id, quod respici voluere jus commune, Summi Pontifices, ecclesiastica dicasteria et juris interpretes; et quamdiu S. Sedes non aliter constituerit, grave damnum temporale, ecclesiæ parochiali per ædificationem ecclesiæ regularium inferendum, sufficiens ratio erit prohibendi istius erectionem. Sed et 2° valde allucinaretur ille, qui in ea versaretur opinione, damnum istud temporale, de quo egimus, non etiam in spiritualis boni detrimentum vergere. Quid enim fiet, ubi parochiales ecclesiæ ad eum statum erunt redactæ, ut earum ministri et officiales sustentari amplius nequeant? ut non habeant, quo earumdem reparationi provideatur? ut ea quæ ad divinum cultum sunt necessaria procurari inposterum non possint? An hæc omnia nihil aliud quam damnum *temporale* significant? Deinde 3° quod ad *spirituale* bonum attinet, quod ex erectione ecclesiæ regularium procreari potest (hic non loquimur de monasteriis), probe est animadvertendum, hoc a multis pendere circumstantiis; nam ubi sufficientes jam sunt ecclesiæ parochiales et alia oratoria publica, quodnam bonum spirituale ex regularium ecclesiæ constructione necessario exspectandum est? Etenim regulares

SS. Missæ Sacrificium semper in oratorio privato, quod vi privilegii in monasterio habent (1), celebrare possunt. An autem ingens bonum spirituale procurare possint in suis ecclesiis exercendo sacra munera, qualia sunt administratio sacramenti Pœnitentiæ et prædicatio verbi Dei, illud etiam multum pendet ex eo, an in oppido vel pago, in quo de erigenda regularium ecclesia agitur, jam habeatur clerus sufficiens, pius, theologicis disciplinis bene instructus et animarum saluti procurandæ sedulo intentus. Si hujusmodi clerus ibi jam existat, quisque intelligit, spirituale bonum fidelium in tali oppido vel pago non multum promovendum esse ex eo, quod ad sacra ista munera obeunda ibi præterea nova ecclesia regularium ædificaretur; imo vero tunc potius, præter temporale damnum ecclesiæ parochiali inferendum, in spirituale Christi fidelium detrimentum hujusmodi erectio vergere posset. Quod qui fieri possit, ex his facile colliges. Fac, Ordinarium clero suo sæculari præscripsisse (quemadmodum eminentissimus et reverendissimus Cardinalis Archiepiscopus Engelbertus Noster revera sapienter præscripsit), ut singulis diebus dominicis et festis de præcepto bis terve prædicetur verbum Dei in ecclesiis parochialibus, et ut Missarum celebratio ita ordinetur, ut parochiani prædicationem hanc non ita facile evitare queant; si jam habeatur in aliqua parochia vel in ejusdem vicinia ecclesia regularium, in qua singulis horis, atque adeo eodem circiter tempore quo in parochiali ecclesia, Missæ celebrantur, tum procul dubio fiet, ut multi parochiani Missam in ecclesia regularium iis diebus sint audituri, et prædicationem verbi Dei ac doctrinam Christianam in parochiali ecclesia continuo neglecturi. Quod si contingat, nemo sane negaverit, id in spirituale Christi-fidelium damnum cedere. Porro hac in re etiam notari debet, Ordinario fas non esse regularibus exemptis de rigore juris præcipere, ut et ipsi in suis ecclesiis doctrinam christianam tradant

(1) Gattico, *De oratoriis domesticis*, cap. 18, num. 3, edit. Romæ, 1752.

aut verbum Dei prædicent, vel prohibere, ne eodem tempore vel antè celebrent Missam in suis ecclesiis, quam in parochiali ecclesia celebretur, ut patebit ex iis quæ infra sumus dicturi.

Si vero Episcopo videretur e re sacra esse et in Christifidelium spirituale commodum fore, ut aliqui regulares ad prædicta munera in aliqua parochia admitterentur, et tamen erectio ecclesiæ regularium cederet in grave damnum parochialis ecclesiæ, eo in casu nobis quidem videtur remedium in promptu fore utrique rei consulendi, statuendo nimirum, ut regulares in ecclesia parochiali sacra ista munera peragerent; tunc enim consultum foret fidelium commodo, et cautum esset, saltem verisimiliter, ne præjudicium grave pateretur ecclesia parochialis.

IX.

Etsi ex iis, quæ hactenus de ædificatione monasteriorum et ecclesiarum regularium notavimus, jam effici possit, quæ ratio et via ab Ordinario servanda sit in concedenda licentia ædificandi monasterium et ecclesiam regularium, non tamen abs re esse videtur, hic velut in compendium ea redigere, quæ a jure in universo hoc negotio facienda præscribuntur.

Ac primo quidem notandum est, Episcopum sive Ordinarium esse *judicem* in hujusmodi causis, et ideo ipsi fas non esse ut rem definiat, sive licentiam concedat aut neget ex affectu quodam, quem a jure dicundo leges omnes procul esse volunt; sed *secundum probata et allegata* sententiam ferre debet. Et quamvis non necesse sit ut omnes servet juris solemnitates, quas leges in judiciis ordinariis sive plenariis observandas esse præcipiunt, eas tamen, quæ intimam judicii naturam respiciunt, quæque ad noscendam rei veritatem necessariæ sunt (1), aut tamquam

(1) CLEM., *De verborum significatione*, cap. 2. *Sæpe contingit* (lib. V, tit. 11).

Digitized by Google

forma a Summis Pontificibus in his causis sunt præscripta, omittere prorsus non potest.

Hinc sequitur, si superior regularium aut aliquis ab ipso delegatus licentiam petat erigendi monasterium et ecclesiam, vel, ubi regulares monasterium jam habent erectum, ecclesiam solam publico cultui dicandam, Ordinarius 1° ante omnia audiet rationum momenta, ob quas monasterii vel ecclesiæ ædificatio petatur. Si causa allegata solum levis sit, v. g. majus tantum regularium commodum, vel sola multiplicatio monasteriorum et ecclesiarum regularium, ubi jam sufficiens est numerus ecclesiarum et rectorum animarum, Ordinarius statim preces rejicere potest, nec debet ullos alios, cæteroquin vocandos, audire. Nam ad erigendum monasterium et ecclesiam regularium requiritur causa gravis, qualis est magna spiritualis Christi-fidelium utilitas, aut alia similis, ut communiter docent Canonistæ et merito; ea enim Ecclesiæ mens est, ut multiplicata gente magnificetur et lætitia.

2° Si causam regularium ecclesiam ædificandi vel aperiendi satis gravem esse comperit, Ordinarius vocare et audire debet regulares in eadem urbe aut pago aut vicinia a jure præfinita *conventualiter* habitantes, parochum loci et alios, si qui sunt, interesse habentes. Expedit autem, ut iis, qui vocandi sunt, significet, si sibi ex ædificatione, de qua agitur, damnum imminere opinentur, querimoniæ causas scripto esse referendas; quia Ordinarius, si deinde ædificandi licentiam recuset, causam, ob quam recusat, regularibus, qui licentiam petiverant, aperire debet, prout constituit S. Pius V, constitutione *Etsi mendicantium* (1). Quando igitur graves causæ afferuntur ab iis quorum interest, has cum regularibus communicare debet. Quod sapientissime quidem sancitum est; nam in negotiis hujus generis non ita foret inauditum, si ex privati commodi studio aliove pravo affectu querimoniæ causæ justo majores proponerentur; quibus tunc regulares, de ædifi-

(1) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. II, col. 245, edit. cit.

Digitized by Google

cando monasterio vel ecclesia cogitantes, respondere et suas rationes opponere possent. Adhæc, si nihil præter solum dissensum Ordinarii ipsis aperiretur, velut inauditi condemnari viderentur.

3° Ubi omnia quæ ex utraque parte proposita sunt mature perpenderit, Ordinarius secundum allegata et probata sententiam dicet, fasne an nefas sit regularibus monasterium vel ecclesiam ædificandi. Si vero contingat, ut regulares qui licentiam petiverunt, vel aliquis ex iis qui vocati fuerunt et auditi, existiment, sibi per sententiam Ordinarii grave damnum inferri, hi ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium appellare possunt, et apud eam sua jura experiri. Intereaque, et a die quidem appellationis interpositæ, omnia *in suspenso* maneant oportet, ita ut, si Ordinarius judicaverit, rationes ædificationi oppositas non esse attendendas, illi tamen, in quorum favorem pronuntiavit, ædificationem incipere aut inceptam persequi non possint, quamdiu a prædicta S. Congregatione Ordinarii sententia non sit confirmata, ut palam est ex citatis verbis Gregorii XV, constitutione *Cum aliàs* (1).

X.

Verum ut appellatio eam vim habere possit, necesse est, quemadmodum idem Pontifex in modo laudata constitutione edixit, ut appellatio *legitime* fiat. Porro ad legitimam appellationem requiritur, ut fiat intra tempus a jure præfinitum; quod tempus dicitur *fatale*, quia si elapsum est ante interpositam appellationem, causæ interitum affert. Jure autem canonum (2) decem dies conceduntur,

(1) Cfr. *Sup.*, § 2, num. 3, col. 53.

(2) *De sententia et re judicata*, cap. 15. *Quod ad consultationem* (lib. II, tit. 27), ubi Innocentius III ait : « Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit. »

numerandi a die latæ sententiæ, si ea lata est contra præsentem; ubi vero contra absentem pronuntiatum fuit, decem dies numerandi sunt a die quo hic notitiam habuit latæ sententiæ. Atque hoc tempus ad appellandum conceditur, sive *per sententiam* sive per alium actum *extrajudicialem*, ut aiunt, se læsum esse quis existimet (1). Unde, si vocati et auditi fuerunt parochus aliique interesse habentes, et Ordinarius sententiam dixerit, qua aliquis ex iis damnum sibi inferri opinatur, hic intra decem dies, a die *scientiæ* latæ sententiæ computandos, Ordinario significare debet, se a sententia lata appellare. Quod si quis existimaret, grave damnum sibi inferri per actum *extrajudicialem*, e. g. quod Ordinarius in casu, de quo agimus, non vocasset parochum aut alios quorum interest, et regularibus licentiam dedisset monasterium vel ecclesiam ædificandi, per quam injuriam sibi fieri contenderet, potest ab ejusmodi actu appellare intra decem dies, numerandos a die quo datæ licentiæ factus est certior. Quin etiam eo in casu appellatione ne quidem opus esset ex sententia illorum Pragmaticorum, inter quos reperitur juris consultissimus Pignatellius (2), qui argumentis non spernendis propugnant, quoties de ædificando monasterio vel ecclesia regularium agitur, semper et in quovis casu vocandos et audiendos esse parochum aliosque regulares vicinos. Nam ex istorum doctrina licentia sine illa vocatione concessa *ipso jure* nulla est, utpote concessa contra legem expressam; atqui contra sententiam vel actum ipso jure nullum non est necesse appellationem emittere, sed sufficit, ut actus vel sententia *circumscribatur*, ut aiunt

(1) Hæc perspicue probantur, *De appellationibus in Sexto*, cap. 8. *Concertationi* lib. II, tit. 15), quo Bonifacius VIII decrevit : « Ut ab electionibus, postulationibus, provisionibus et quibuslibet extrajudicialibus actibus, in quibus potest appellatio interponi, quisquis ex eis gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, intra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellet; post decendium vero eidem aditus non pateat appellandi. »

(2) Cit. *Consultatione* 179, num. 50.

Pragmatici, hoc est, ut e. g. in nostra hypothesi, ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium referatur, et probetur, neque vocatos neque auditos esse, qui de jure vocari et audiri debuissent; quæ S. Congregatio datam ab Ordinario licentiam tunc statim e medio tollet et abrogabit.

Præterea si quis contra hujus generis actum *extrajudicialem* beneficio appellationis uti non velit, sed damnum ex eo actu sibi afferendum legitima contradictione vel aliis juris remediis propellere cogitat, lapsus decendii nihil ipsi obest (1), et spatio saltem unius anni, a die quo damnum reipsa illatum est, ad ordinaria ista juris remedia recurrere potest ad illud repellendum.

Appellatio, ubi interponitur, fieri potest vel viva voce (2), nempe si is qui vult appellare præsens est, quando Ordinarius fert *definitivam* sententiam, vel per *libellum*, hoc est, scripto. Si appellatio non fiat *in continenti* seu *stante pede*, ut loquuntur, hoc est, judice adhuc in tribunali sedente, sed *ex intervallo*, libello omnino opus est (3); at

(1) *De appellationibus*, *in Sexto*, cit., cap. 8. *Concertationi.* « Si per contradictionem debitam vel alia juris remedia petierit revocari gravamen sibi, dummodo medio tempore his non consenserit, lapsus *decendii* non obsistat. »

(2) L. 2. D. *De appellationibus et relationibus.* « Si apud acta quis appellaverit, satis erit, si dicat : *Apello.* »

Ne quis miretur, nos hic ubi de processu judiciario agimus, citare etiam leges civiles Romanas, cum recepta quidem Canonistarum sententia est, has leges pro foro ecclesiastico esse adhibendas in judicialibus causis, quando sacris Ecclesiæ canonibus non adversantur, vel de re agitur, de qua nihil canonico jure reperitur statutum. Præcipiebat enim jam Gregorius Magnus in suis ex regesto decretis, ut secundum *leges et canones ecclesiastica judicia terminentur.* Lucius III, *De novi operis nuntiatione*, cap. 1. *Intelleximus* (lib. V, tit. 32), edixit : *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Et Honorius III, *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 28. *Super specula*, ait : *Sancta Ecclesia legum sæcularium non respuit famulatum, quæ æquitatis et justitiæ vestigia imitantur.*

(3) L. 6. § ult. *Cod. De appellationibus et consultationibus.* « Sin autem in judicio propriam quis fuerit causam persecutus, atque superatus voluerit provocare, eadem die vel altero *libellos appellatorios* offerre debebit. »

non est necesse causam appellationis in eo exprimere (1).

Si alterutro modo appellatio est interposita, appellans petere et Ordinarius dare debet litteras, quas *Apostolos* vocant sive *dimissorias*, quia per illas causa *dimittitur* ad judicem, ad quem appellatum est (2). Istas litteras Ordinarius dabit ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, iisdemque fidem faciet atque testabitur appellationem emissam esse. Verum intra triginta dies, postquam latæ sententiæ notitiam obtinuerit (3), vel, ut alii volunt, postquam appellationem interposuerit, appellans easdem litteras petere, et Ordinarius petenti exhibere debet (4).

Quod tempus attinet hae aliisque tum *Digestorum* tum *Codicis* legibus præfinitum ad interponendam appellationem, id a Justiniano continuatum est ad dies decem, a recitatione sententiæ numerandos, *Novell.* 23, cap. 1, *De appellationibus, et intra quæ tempora debeat appellari.*

(1) Colligitur ex cit. L. 2. D *De appellationibus.*

(2) Can. xxxi, *Caus.* 2, quæst. 6, ubi Gratianus ait : « Forma apostolorum hæc est : Ego ille sanctæ Bononiensis Ecclesiæ Episcopus te presbyterum Rolandum, capellanum S. Apollinaris, ad Apostolicam Sedem, quam appellasti, ab observatione mei judicii his apostolis dimitto. » Deinde § 1, tradit modum appellandi post datam sententiam his verbis : « Ego A sanctæ Reginæ ecclesiæ minister, licet indignus, contra sententiam domini G. sanctæ Rav. Ecclesiæ Archiepiscopi injuste in me latam pridie Kal. Maii, A. Domini Incarnationis MCXLI, indictione quarta, Romanam Sedem appello, et apostolos peto. » Verum necesse non est, ut his præcise verbis utatur ille qui vult appellare, uti manifeste eruitur ex cap. 54, *De appellationibus, recusationibus et relationibus.*

(3) L. 24. *Cod. De appellationibus et consultationibus.* « Triginta dierum spatia (ex die sententiæ) definita sunt, intra quæ gesta una cum relatione litigatoribus conveuit præstari. »

(4) *De appellationibus, in Sexto*, cap. 6, *Ab eo.* « Ab eo, qui appellat, infra triginta dies instanter Apostoli peti debent, et eidem infra dictum tempus a judice exhiberi ; alias præsumitur appellationi suæ renuntiare appellans, si eos infra idem tempus petere prætermittat, etiamsi vadat aut mittat ad appellationem hujusmodi prosequendam. »

Licet complures textus juris ac multi interpretes dicant, *instanter et sæpius* esse petendos a judice Apostolos, sufficit tamen, si semel petantur vel per libellum quo emittitur appellatio, vel postquam hæc jam est emissa ; id enim decrevit Clemens V, Clem. *De appellationibus*, cap. 2. *Quamvis* (lib. II, tit. 12), his verbis. « Quamvis rigor juris exposcat, eum, qui appellat, debere petere Apostolos congruo loco et tempore *sæpius et instanter*; Nos tamen, antiquam et communem observantiam litigantium sequi, et æqui-

Quod si renuat Ordinarius, vel si in termino a jure præfixo ipsos petenti non dederit, appellans nihilominus appellationem suam ex eo tempore in S. Congregatione Episcoporum et Regularium prosequi potest (1).

Impetratis Apostolis, curare debet parochus vel alius appellans, ut eos intra annum a die interpositæ appellationis (2) S. Congregationi tradat, et instet ut appellatio recipiatur, etsi in hujusmodi causa biennium quidem aliquando concedi posset ad prosequendam appellationem (3).

Hæc de jure scripto quidem servanda sunt, sed hodierna praxis Curiæ Romanæ est, teste cl. Devoti (4), ut intra biennium appellationis negotium expediatur. Ac primo quidem anno causa committi debet judici, quem quis appellavit; altero *transportanda* sunt acta, ut Pragmatici loquuntur, scilicet, eidem judici exhiberi debet exemplum actorum et documentorum, quæ in priori judicio gesta et data sunt. Attamen qui intra primum annum

tatem rigori præferri volentes, decernimus sufficere, quod per appellantem simul *uno contextu* Apostoli instanter et sæpius postulentur. »

(1) *Cit. Clem.* 2, § 1. « Quod si judex in termino ad dandum Apostolos præfixo per eum, ipsos appellanti petenti non dederit, aut si, dum peterentur Apostoli, responderit, se daturum eosdem, nullo termino certo sibi præfixo, vel infra juris terminum se eos asseruerit velle dare, et postea per appellantem congruo loco et tempore sæpius et instanter *uno contextu etiam* requisitus, eos non curaverit infra eumdem terminum exhibere, appellationem suam ex nunc prosequi possit appellans, acsi expresse fuissent eidem Apostoli denegati. »

(2) Clem. *De appellationibus*, cap. 3. *Sicut.* « Sicut appellationem judicialem, sic et extrajudicialem infra annum a die interpositionis ipsius, vel a die illati gravaminis, ubi a futuro gravamine appellantur, prosequi et finire tenetur appellans. Quod si justo impedimento cessante non fecerit, debebit ejus appellatio deserta censeri. »

(3) *De appellationibus, recusationibus et relationibus*, cap. 5, *Cum sit* (lib. II, tit. 28. « Si ante sententiam vel postea fuerit appellatum, hujusmodi appellantibus annus indulgetur, aut ex necessaria aut evidenti causa biennium, nisi forte judex, a quo appellatum fuerit, secundum locorum distantiam, et personarum et negotii qualitatem recisius tempus fuerit moderatus. »

(4) *Jus canonicum universum*, lib. II, tit. 28, § 22, edit. Romæ, 1815.

Digitized by Google

neglexisset, e. g. in casu nostro, S. Congregationi Episcoporum et Regularium causam suam committere, ille ne secundo quidem anno beneficium haberet exhibendi acta. Quare videndum est, ut primo anno, postquam ab Ordinarii sententla appellaverit, S. Congregationem roget, ut appellationem recipiat, et saltem anno secundo acta ad eam transmittat; quod, si ob justam causam præstare non potest, longius tempus a S. Congregatione petere debet, antequam præfinitum tempus elabatur.

Ubi hæc omnia observaverit appellans, ipsius non interest, utrum S. Congregatio rem intra biennium definiat, an ad longius tempus sententiam definitivam protrahat; nam etsi judex debeat curare, ut quantocius liti finem imponat, lapsus tamen longioris temporis appellanti nocere non debet, quum per ipsum tunc non steterit, quominus res promptius definiretur.

Atque hæc erant, quæ de methodo interponendæ legitimæ appellationis summatim breviterque dicenda videbantur. Unusquisque autem facile intelligit, omnino esse standum in sententia memoratæ S. Congregationis, ac nefas esse ab hac ad aliam auctoritatem appellare; quum ea a Summo Principe constituta sit, et ejus loco ac nomine controversias dirimat.

XI.

Reliquum est ut videamus, quid juris sit, si regulares monasterium, aut ecclesiam, aut collegium, aliumve *locum regularem* ædificent, non servatis iis, quæ SS. Canonibus et Pontificiis constitutionibus servanda præscribuntur, et peculiare privilegium ædificandi a Sede Apostolica non obtinuerint. Ex communi Doctorum sententia inprimis certum est, ejusmodi ædificationem irritam et inanem esse, ac propterea ne jus quidem tribuere ædificantibus in ædificio inhabitandi. Illud aperte constat ex verbis constitu-

Digitized by Google

tionis Urbani VIII, *Romanus Pontifex*, quibus declarat, § 3, « irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. » Præterea explorati juris est, Ordinarium, in cujus diœcesi regulares monasterium vel ecclesiam, aliudve ædificium hujus generis construere, vel in constructo se recipere ausint, præscriptis solemnitatibus neglectis, legitime posse eos abigere et expellere, ac censuris ecclesiasticis coërcere. Urbanus VIII enim laudata constitutione conceptis verbis edixit, § 4 : « Quocirca venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis committimus et mandamus, quatenus ipsi... præsentes litteras et in eis contenta quæcumque solemniter publicari faciant, illas et illa ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quomodolibet et rebelles per censuras et pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. »

Pœnæ autem, quibus subjiciuntur regulares ita ædificando, hæ sunt : privatio vocis activæ et passivæ, privatio omnium officiorum et inhabilitas ad quodvis officium obtinendum, item excommunicatio latæ sententiæ; ut iterum perspicuum est ex constitutione Urbani VIII, cujus ipsa verba late attulimus, supra, § I, n. 1.

§ IV.

De monasteriis et ecclesiis suppressis ac oratoriis publicis quæ a regularibus acquirerentur.

I. ***Præmittitur, quæ fuerit sors monasteriorum et ecclesiarum regularium, quæ ærumnosis perturbatæ reipublicæ Gallicanæ temporibus*** de facto ***suppressæ fuerunt.***

II. ***Regulares certi ordinis non possunt jure suo repetere illa***

ædificia, quæ ante conventionem *inter Gubernium Gallicanum et Summum Pontificem Pium VII initam ad eumdem ordinem pertinuerunt et a republica Gallicana tunc vendita fuerunt secundum leges civiles tunc vigentes. Unde efficitur, eorumdem regularium jura in iis residendi sacrave munera exercendi etiam amissa et extincta esse, nec ea recuperari per novam acquisitionem ejusdem ædificii.*

III. *Nec obstat, Sedem Apostolicam violentam istam regularium Ordinum suppressionem numquam approbavisse.*

IV. *Ostenditur, 1° ejusmodi jura longe minus recuperari per acquisitionem monasterii vel ecclesiæ, quæ ante perturbationem Gallicanam, non ejusdem, sed alterius ordinis fuerunt. Dicitur, 2° quid censendum sit de regularium ecclesiis, quæ* post conventionem *inter S. Sedem et Gubernium Gallicanum alienatæ fuerunt vel quæ etiamnum a Gubernio retinentur. 3° Quid de ecclesiis regularium, quæ in cathedrales vel parochiales fuerunt erectæ? 4° Quid de iis, quæ post conventionem concessæ fuerunt in dotationem parochialium ecclesiarum.*

V. *Regulares non possunt mitti in legitimam possessionem oratorii publici, nisi servatis solemnitatibus juris ad erectionem ecclesiæ regularium requisitis.*

I.

Hactenus egimus de jure parochi, intra cujus parochiæ fines novum monasterium vel nova ecclesia regularium est ædificanda; restat igitur, ut dicamus de jure regularium residendi et sacra munera persolvendi in monasteriis et ecclesiis suppressis atque oratoriis publicis, si qua hodie acquirerent. At ne latius, quam par est, argumentum hoc pateat, de iis tantum monasteriis et ecclesiis regularium locuturi sumus, quæ a Gubernio Gallicano calamitosis perturbatæ Gallicanæ reipublicæ temporibus, sæculo proxime elapso ad finem vergente, per summum

quidem nefas, suppressæ fuerunt. Utile autem erit, hic præmittere, quo modo respublica ista de monasteriis et ecclesiis illis disposuerit, ut faciliorem nobis viam sternamus decernendi, quid de jure regularium in eadem monasteria et ecclesias hodie statuendum sit.

Primo quidem omnibus compertum est, complures ex iis ædibus, statim ac regulares vi depulsi essent, a Gubernio venditas fuisse secundum leges tunc vigentes. At quum, conventione inita die 15 mensis julii 1801 inter Gubernium Gallicanum et Summum Pontificem Pium VII, cultus catholicæ Religionis in universa republica Gallicana restitueretur, ejusdem actus articulo XII Gubernium se officio adstrinxit tradendi Episcoporum dispositioni « omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, *atque alia, quæ non alienata erant*, cultui necessaria. » Inter ea porro, quæ cultui necessaria reputata fuerunt, aliquæ erant ecclesiæ regularium suppressæ; illa vero, quæ cultui non necessaria visa sunt, in dominio Gubernii remanserunt.

At postea quum evidenter constaret fructus et redditus ecclesiarum parochialium tam exiguos esse, ut non posset ex iis divino cultui decenter provideri, Gubernium alia quædam bona ecclesiastica in fabricas istarum ecclesiarum contulit, ac præsertim ecclesias parochiarum, quæ per novam circumscriptionem fuerant suppressæ, et capellas congregationum et monasteriorum, quæ in territorio parochiarum recenter circumscriptarum sitæ erant. Illas autem regularium ecclesias, quæ in usum reipublicæ, e. g. in commeatus, jam destinatæ erant, Gubernium retinuit (1).

(1) Cfr. *Législation des paroisses en Belgique*, par L. Bon, deuxième édition, p. 116 : *Décret du 30 mai 1806, qui réunit aux biens des fabriques les églises et presbytères supprimés.* Et p. 128 : *Décret du 17 mars 1809, qui restitue aux fabriques les biens aliénés et rentrés au domaine par suite de déchéance.*

II.

De singulis illis ædificiorum generibus ex ordine singulatim loquemur. Et ut ab iis monasteriis et ecclesiis regularium exordiamur, quæ ante conventionem inter Gubernium Gallicanum et Summum Pontificem Pium VII initam alienata fuerunt, de his inprimis notandum est, superiores regularium ordinum, ad quos ea antea pertinuerunt, jure quodam suo postulare non posse, ut ædes istæ gratuito, vel numerata etiam pecunia, ipsis restituantur; quandoquidem in prædicta conventione declaratur, pacificam et legitimam esse possessionem ac proprietatem illorum, qui eas a Gubernio acquisiverant, his verbis: art. XIII: « Sanctitas Sua, pro pacis bono feliciquè religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, reditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes. » Quæ omnia iisdem verbis confirmavit idem Pontifex Maximus in con-constitutione *Ecclesia Christi*, data anno 1801, VIII Kalendas septembris. Quod si verba memorati fœderis aliquam dubitationem haberent, ea tamen sublata esset per responsum S. Pœnitentiariæ ad Celsissimum Dominum De Méan, Archiepiscopum Mechliniensem, datum die 15 junii an. 1827, his verbis : « Si bona ecclesiastica occupata a Gubernio Gallico fuerint ante initum concordatum diei 15 mensis julii 1801, et eorum alienatio consentanea fuerit legibus tunc vigentibus, eadem bona in eorum emptorum dominium et potestatem translata esse, ac iis licere de dictis bonis tamquam de propriis libere disponere; eos hortando atque obsecrando tantum, ut, si qua pia onera bonis dictis inhærebant, pro ea pietate et

religione, qua catholicos flagrare decet, implere non omittant. »

Constat igitur, ædificia, de quibus agimus, nulla amplius ratione hodie pertinere ad regulares, ad quos olim pertinuerunt, et ideo etiam extinctum esse eorumdem regularium jus in iis residendi, sacramenta administrandi, aliave munera sacra exercendi. Nam quum S. Sedes declaraverit, *in dominium et potestatem emptorum translata esse* illa ædificia, hoc ipso etiam decrevit, regulares inposterum in iisdem residere aut sacra munera exercere non amplius posse *jure suo;* quum jus hujusmodi evidenter supponeret emptoribus obligationem saltem esse regulares non impediendi, quominus in iisdem resideant; atque ita verum non esset, emptores liberam habere de iis *tamquam de propriis* disponendi facultatem.

Age vero, si jura ista regularium in prædicta monasteria et ecclesias sunt extincta, dicendum etiam est, ipsos eadem non recuperare, nisi servatis de jure servandis. Unde si in his regionibus hodie contingeret, ut regulares cujusdam ordinis, solemnitatibus juris, quas supra exposuimus, non observatis, redimerent monasterium vel ecclesiam, quæ ante perturbatam rempublicam Gallicanam fuissent ejusdem ordinis, et a Gubernio ante memoratum fœdus alienata, decidendum esset, ipsos per eam nudi ædificii redemptionem pristina jura non recuperavisse; ac propterea, antequam hæc ipsis restituerentur, necessarium esse, ut ea omnia observarentur, quæ ad novum monasterium vel ecclesiam fundandum a jure præscripta esse monebamus. Quapropter regulares in vicinia jam existentes et parochus loci vocari et audiri deberent, antequam denuo possessionem legitime capere et restitui possent illi, qui monasterium vel ecclesiam ita redemissent. Et, si vocati et auditi probarent, ex ista restitutione grave damnum sibi imminere, legitime impedire possent, ne emptores in possessionem inducerentur. Neque facta redemptio ipsis ullo modo prodesset, quum jura et pontificiæ constitutiones non ita respiciant nudam

Digitized by Google

et materialem ædificationem vel acquisitionem monasteriorum et ecclesiarum, sed potius jus in iis residendi et sacra munera exercendi, ac præjudicium quod aliis inde potest afferri.

III.

At forsan quis opponet, jura regularium residendi et sacra munera persolvendi in monasteriis et ecclesiis, quæ ante perturbationem reipublicæ Gallicanæ pertinebant ad eumdem ordinem, non extincta esse, ideo quod neque violentam regularium ordinum suppressionem, neque rapinam illorum bonorum Summus Pontifex umquam directe vel indirecte ratam habuit aut approbavit; ac proinde, si hodie hujusmodi ædes a superioribus ejusdem ordinis redimerentur, ipsos iterum eadem jura et officia quæ antea, in iis exercere posse, neglectis solemnitatibus juris alias requisitis, præsertim quia jura ista potius suspensa quam extincta sive amissa dicuntur.

Ad hæc respondemus : etsi omnino verum sit, a Summo Pontifice suppressionem illam, quam respublica Gallicana, tam divina quam humana jura proculcando, sacrilege consummavit, nulla ratione umquam probatam fuisse, negari tamen non potest, ipsum de *bonis ecclesiasticis*, quæ ex occasione perturbationis in Galliis, et suppressionis regularium ordinum inde secutæ, alienata fuerant, peculiarem dixisse legem, licet non nisi ægerrime ad id induci potuerit, ut perspicuum est ex gravissimis S. mem. Pii VII verbis (1) : « Constantes proposito ad omnia sacrificia pro bono unitatis descendendi, ad quæ salva religione descendi potest, ut etiam pro viribus nostris tranquillitati Galliarum coöperemur, quæ denuo totæ turbarentur, si bona ecclesiastica alienata iterum essent

(1) Constit. *Ecclesia Christi.*

repetenda, et ut, quod potissimum est, felix catholicæ religionis restitutio fiat, prædecessorum nostrorum exempla sectantes, declaramus, etc. » Ex verbis autem quæ sequuntur, et ex responso S. Pœnitentiariæ, quæ jam supra referebamus, palam est, Summum Pontificem, suprema qua pollet in Ecclesia Dei auctoritate, decrevisse, emptores illorum bonorum inposterum non esse inquietandos, et ipsos tuta conscientia bona illa tamquam res proprias retinere vel alienare posse. Atqui hoc ipso quod Summus Pontifex id constituit, etiam decrevit, ut modo observabamus, jura regularium in iis bonis adhuc residendi non amplius existere; quia simul stare nequit, ut regulares habeant jus residendi in aliqua æde, et dominus ædis habeat jus eos impediendi, ne resideant. Præterea jura hujus generis, etsi *incorporalia* sint, cohærent tamen loco; atque adeo, amissa proprietate et legitima possessione loci, ea quoque amittuntur; unde nec ulla ratio est dicendi, jura illa esse tantum suspensa.

IV.

Ea quæ modo disputavimus de redemptione monasteriorum et ecclesiarum, a republica Gallicana alienatorum ante conventionem initam inter prædictum Gubernium et Sedem Apostolicam, intelligenda sunt de casu, quo superiores ordinis alicujus redimerent ejusmodi ædem, quæ ad eumdem ordinem antea pertinuisset.

Sed ea, quæ probavimus, etiam latius patent, et ad plures alios casus referri possunt, ut nunc ostendemus.

Ac 1° quidem extra dubium est, si regulares quidam monasterium vel ecclesiam sibi compararent, quæ non fuissent ejusdem, sed alterius ordinis, ipsos omnia juris præscripta observare debere, perinde ac si ex integro et recenter tale ædificium erigerent; quum numquam ha-

buerint jus in iis residendi, quod jus propterea modo legitimo acquirere deberent (1).

2° Sed hic quæri potest, quid censendum sit de monasteriis et ecclesiis regularium, quæ *post præmemoratum fœdus* a Gubernio vendita fuerunt, vel quæ Gubernium etiamnum possidet : an si regulares aliquam ex his ædibus redimerent, quæ antea ejusdem ordinis fuerunt, idem decidendum est, quod num. II, col. 87, respondendum esse existimavimus?

In hanc rem hoc unum præmonemus, nos ad propositam quæstionem tantum respondere, quatenus agitur de monasteriis et ecclesiis in Belgica ditione sitis. De his autem dubium esse nequit, quin idem resolvendum sit, quod de bonis ecclesiasticis ante diem 15 mensis julii 1801 a republica Gallicana alienatis resolvimus; quia ex peculiari indulto S. mem. Gregorii XVI, dato die 16 septembris 1833, declaratio articuli XIII sæpius memoratæ conventionis extensa est ad bona, quæ Gubernium occupavit, sive ea jam alienasset, sive adhuc retineret; ut perspicuum est ex litteris encyclicis, quas mense januario 1834 ad diœcesanos suos dederunt Ill^{mi} et R^{mi} Præsules Archiepiscopus Mechliniensis cæterique Belgii Antistites, his verbis :

« Nous archevêque et évêques de la Belgique, à tous les fidèles de nos diocèses, salut dans le Seigneur!

» Notre saint père Grégoire XVI, souverain pontife par la divine providence, nous a, par un bref apostolique, donné à Rome à Sainte-Marie-Majeure le 16 septembre 1833, accordé plein pouvoir de déclarer, au nom de sa Sainteté, que l'art. 13 de la convention de 1801 s'étend à tous les autres biens dont le gouvernement s'est emparé, tant à ceux qui ont été aliénés après cette convention, qu'à ceux dont il est encore possesseur, pourvu

(1) MATTHÆUCCI, *Oper. cit.*, cap. 12, num. 23. Ubi lectorem remittit ad LANTUS. Verb. *Hospitium*, et ad decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 26 martii 1677.

toutefois que nous obtinsions une loi ou une déclaration solennelle conforme à notre droit constitutionnel, qui déclarât restitués à l'Église les biens qui, quoique compris dans les lois relatives à l'occupation des biens ecclésiastiques, n'ont cependant pas été saisis de fait par le gouvernement, parce que leur origine lui était restée inconnue.

» Jugeant que l'arrêté du roi du 4 janvier 1834 remplit pleinement l'intention de sa Sainteté, faisant usage du pouvoir qui nous a été conféré, nous déclarons, au nom de N. S. P. le pape Grégoire XVI, que l'art. 13 de ladite convention s'étend à tous les autres biens dont il a été fait mention ci-dessus, et qui ont été aliénés par le gouvernement ou sont restés en sa possession (1). »

Patet igitur, regulares in Belgio hoc indulto pontificio jura sua in ecclesias, monasteria aliave bona, quæ magistratus civilis post initum fœdus vel alienavit vel retinuit, non minus amisisse, quam in bona antea alienata. Unde fit ut etiamsi ecclesias istas vel monasteria modo redimerent, non tamen hoc ipso pristina jura spiritualia recuperarent.

3° Deinde, quod ad illas regularium ecclesias spectat, quæ post prædictam conventionem in cathedrales aut parochiales fuerunt erectæ, dicendum etiam omnino videtur, regulares jura sua in easdem amisisse; quia Summus Pontifex Pius VII, acceptando articulum XII conventionis, tacite saltem voluit, ut ecclesiæ etiam *regularium, de facto* suppressæ, in cultum catholicæ religionis restituerentur, et ut ecclesiæ istæ perpetuo inposterum cathedrales vel parochiales manerent. Hoc si voluit Summus Pontifex, profecto sequitur, regulares pristina sua jura in easdem quoque amisisse.

4° Atque eodem fere modo ratiocinandum esse videtur de capellis et ecclesiis regularium, quæ postea a Gubernio

(1) Cfr. *Législation des paroisses*, par L. Bon, deuxième édition, p. 224. Bruxelles, 1842.

Digitized by Google

in dotationem concessæ fuerunt fabricis ecclesiarum parochialium. Nam capellæ et ecclesiæ hujus generis certò a Gubernio fuerunt *alienatæ*, utpote in fabricas ecclesiarum collatæ. Atqui omnes alienationes factæ a Gubernio ex Gregorii XVI indulto ratæ et firmæ sunt habitæ; ergo de his quemadmodum de cæteris affirmari debet, regulares, ad quos antea pertinuerunt, etiam in easdem omnia sua jura amisisse.

V.

Una hic restat diluenda difficultas de oratoriis publicis, quæ regularibus cederentur vel ab ipsis acquirerentur.

Prænotemus autem oportet, nos illas ecclesias vel capellas oratoria publica habere, quibus janua aperta patet in via publica, et in quibus ea, quæ muneris parochialis sunt, non exercentur, sed solum Missæ celebrantur, et Christi-fideles diebus dominicis et festis satisfaciunt Ecclesiæ præcepto Missæ audiendæ (1).

Oratorium hujus generis ex eo solo capite, quod intra limites parochiæ situm est, ex dispositione juris non subjicitur administrationi et jurisdictioni parochi, quia hic non habet, ut aiunt, *intentionem in jure fundatam super istius subjectione;* quapropter, si talem locum sacrum sibi subjectum esse contendat parochus, id vel ex fundatione, vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel ex alio titulo legitimo probet oportet (2); sed de jure communi subjicitur Ordinario, qui habet *intentionem in jure fundatam super omnibus ecclesiis in diœcesi sua sitis* (3). Itaque,

(1) Cfr. Gattico, *De oratoriis domesticis*, cap 3.

(2) Schmalzgrueber, *Jus canonicum universum*, lib. III. *De capellis monachorum et aliorum Religiosorum*. num. 15 et seq. Maschat, *Resolutiones in utroque jure controversæ*, ad lib. III. *Decretalium*, ad tit. *De capellis Monachorum et aliorum Religiosorum*, edit Augustæ Vindelicorum, 1762.

(3) *De religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ*, cap. 6, *Constitutus*, et cap. 7, *Cum venerabilis* (lib. III, tit. 36).

ut oratorium publicum regularibus concedatur, *juxta Canones* plerumque ad solum Ordinarium recurrendum est. Verum hodie in his regionibus *practice* omnino aliter procedi debet ac ita distingui : vel agitur de oratorio, quod Gubernium transtulit in dominium et proprietatem fabricæ ecclesiæ parochialis, et servatis de jure servandis publico cultui restitutum est; vel agitur de oratorio, cujus dominium est penes civem aliquem, qui illud a Gubernio emit, vel alia ratione acquisivit, et quod postea ex auctoritate Ordinarii divino cultui consecratum est. In priori casu illud regularibus *de facto* tribui non potest, nisi servatis decretis, in eam rem a magistratu civili latis; quæ si negligerentur, diversi generis incommodis præberetur locus, adeo quidem ut *moraliter* fieri nequeat, ut ea decreta non observentur. In posteriori casu nulla quidem attendi debet peculiaris *civilis* solemnitas, sed quod ad cessionem *nudi ædificii* spectat, tota res pendet a voluntate domini, at pro *missione in legitimam possessionem* adeundus est Ordinarius.

Ita quidem ratiocinamur, inspectis hodiernis rerum circumstantiis; nam ut consilium fabricæ ecclesiæ parochialis oratorium publicum alicui regularium ordini vel ad tempus vel in perpetuum cedere possit, necessario servare debet decreta imperii civilis. Præterea ita comparatæ sunt leges civiles, ut regulares nequeant obtinere ædificium, quod jam est oratorium publicum, et *civilem* habet dominum, nisi cum ipso domino de ea re agant. Profecto hæc a jure canonico exorbitant, cum ecclesiasticis legibus sit cautum, ne ædificium oratorii publici sit in dominio ullius privati hominis, quum penes ipsum esse non possit jus oratorium tale claudendi, quod jus secundum Ecclesiæ leges penes solam auctoritatem ecclesiasticam esse potest. Id sæpius definivit S. Congregatio Concilii, et confirmaverunt Summi Pontifices, inter alios Clemens XII in Brevi dato ad Episcopum Placentinum. Accedit, oratorium publicum consecratione vel benedictione effici *rem sacram;* quæ autem semel Deo dicata sunt, non

amplius possunt ad profanos usus converti, nisi ex gravi causa et Ordinarii auctoritate; est enim regula juris LI *in Sexto : Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Ex his abunde patet, quam parum quadret emptio venditio, locatio conductio oratorii publici cum iis, quæ SS. Canonibus sancita sunt. Verum pro locorum et temporum adjunctis Ecclesia multa fieri sinit, quæ disciplinaribus suis legibus non sunt consentanea, præsertim quando adjuncta ista ita comparata sunt, ut urgendo suas leges dignos fructus tamen sperare nequeat, vel periculum sit ne majus bonum impediatur.

His prænotatis, jam quærimus : quid censendum sit, si regularibus utrovis modo cedatur vel acquiratur oratorium publicum, an jam hoc ipso illis jus est in eo omnia sacra munera exercendi, quæ in regularium ecclesiis legitime constitutis exerceri possunt, an vero solemnitates a jure præscriptæ ad ædificandam regularium ecclesiam antea servari debebunt?

Non magnopere de hac quæstione ambigi posse videtur, dummodo mente teneamus, regulares sola concessione vel acquisitione nudi ædificii non obtinere jus aliquod munera spiritualia in eo exercendi. Ut igitur hæc ibi legitime possint persolvere, necesse est ut auctoritatem spiritualem adeant, quæ penes Summum Pontificem et Ordinarium residet. Quodsi licentia in illo oratorio sacra munera publice persolvendi ab Ordinario sit concedenda, hic omnia in eam rem a jure præscripta servare debet; regulares enim in monasterium vel ecclesiam introduci non possunt, « nisi *causa cognita*, constiterit, eos sine aliorum detrimento commode sustentari posse. » Atque adeo, ubi regulares in tali oratorio publico ea præstituri essent, quibus concursus fidelium et emolumenta parochialis ecclesiæ notabiliter præviderentur imminuenda, ratio non apparet ob quam censendum foret, minora esse parochi jura, quam ubi ageretur de fundatione novæ ecclesiæ; idque solide confirmari videtur ex decisione S. Rotæ, quam supra num. III, hujus § exscripsimus.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE SACRIS MUNERIBUS QUIBUS PERFUNGENDI JUS HABENT REGULARES PRÆSERTIM IN SUIS ECCLESIIS LEGITIME ERECTIS.

Quæ in præcedenti capite disputata sunt, pertinent ad ædificationem monasteriorum et ecclesiarum regularium. Porro ubi servatis de jure servandis hujusmodi ædificia fuerint erecta, atque in iisdem habitandi et residendi jus obtinuerint regulares, hoc ipso etiam ipsis jus est divina officia et sacra munera ibi persolvendi. Quare is cui jus est impediendi ecclesiæ vel monasterii constructionem, ut hoc jure utiliter utatur, eo uti debet antequam regulares in legitimam possessionem ecclesiæ vel monasterii fuerint inducti. Nunc autem distinctius explicandum est quænam divina officia et munera sacra, item sub qua conditione obeundi jus habent regulares in ecclesiis et monasteriis, quæ jam legitime possident. Id porro in sequentibus paragraphis efficere conabimur.

§ I.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

I. *S. Missæ Sacrificium in regularium ecclesiis celebrari potest tam a sacerdotibus sæcularibus quam regularibus. Sed pro* sæcularibus *exteris seu peregrinis præpositi ecclesiarum regularium servare debent statuta diœceseos.*

II. *Admittere autem non possunt sacerdotes* regulares exteros *alterius ordinis sine licentia Ordinarii loci.*

III. *In ecclesiis regularium S. Missæ Sacrificium publice offerri potest, et Christi-fideles Ecclesiæ præcepto satisfaciunt Sacrum in iis audiendo diebus dominicis et festis.*

IV. *Cavere tamen debent regulares, ne suis hortationibus populum a frequentanda parochiali ecclesia avocent.*

V. *Sed prohibitum ipsis non est, Missas in eorum ecclesia prius celebrari quam in parochiali ecclesia.*

I.

In ecclesia regularium S. Missæ Sacrificium offerri posse, non tantum a regularibus qui in ea resident, sed etiam ab aliis sacerdotibus, id quidem in dubium vocari nequit. Verum quod ad exteros sacerdotes attinet, regularibus non licet hos admittere ad Missæ celebrationem, nisi observatis Ordinariorum mandatis et statutis ea de re diœcesanis. Nam Ordinarius sub gravibus quidem pœnis poterit regularibus speciatim prohibere, ne in suis ecclesiis exteros sacerdotes sæculares admittant ad divina celebranda, nisi prius ab ipso hujus rei licentiam obtinuerint. Luculenter id probat Benedictus XIV, in Epistola encyclica *Quam grave* (1), ubi ait : « Licet non oporteat Episcopum sollicitum esse de regularibus, qui in propriis ecclesiis Missas celebrare intendunt, quum ejus rei cura reservata sit eorum Superioribus regularibus; si quis tamen sæcularis sacerdos in ecclesiis regularium Missam celebrare velit, hic etiam debet litteras discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cujus diœcesi Sacrum vult peragere, uti videre quoque est in Nostra *Institutione XXXIV*, § 1. » In hac Institutione

(1) Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. IX, col. 247, edit. Venetiis, 1784.

porro celeberrimus Pontifex in eamdem rem allegat sequentem resolutionem S. Congregationis Interpretum Concilii Tridentini diei 17 novembris ann. 1594 (1) : *An Episcopus loci Ordinarius prohibere possit, ne regulares in eorum ecclesiis sacerdotes sæculares exteros divina officia celebrare permittant, nisi prius ab ipso Episcopo visis litteris commendatitiis, ipsi sacerdotes admissi fuerint.* S. Congregatio censuit, *posse.*

II.

Quamvis autem hæc resolutio S. Congregationis sacerdotes tantum sæculares memoret, opinamur tamen ab Ordinario etiam prohiberi posse, ne regulares exteros religiosos *alterius* ordinis in suis ecclesiis ad Sacrum perficiendum admittant. Illud quidem opinamur, tum quia Benedictus XIV in Litteris Encyclicis tantum excipit regulares, qui in *propriis* ecclesiis Missam celebrare volunt, tum quia Constitutione *Apostolicum ministerium* (2) idem Pontifex hæc edixit : « Institutum canonicum est, sacri concilii Chalcedonensis auctoritate firmatum, nemini advenæ in Sacris constituto licere Ordinem, quo se insignitum asserit, exercere, adeoque Sacrum peragere, si sacerdotem se esse profiteatur, nisi litteras authenticas Ordinarii palam faciat, testimoniumque exhibeat, se nullo suspensionis vel irregularitatis vinculo irretiri. Ita *can.* 7, *dist.* 71, cui apprime consentit S. concilium Tridentinum, sess. 22, *De Sacrificio Missæ*, decreto *De observandis et evitandis in celebratione Missæ*, et cap. 13, sess. 23, *De Reform.* Porro hujusmodi præscriptum regulares etiam respicit, quoties extra diœcesim versantur, in qua ad sacros ordines promoti fuere; proindeque suscep-

(1) *Decretorum*, lib. VI, pag. 78.
(2) *Oper. cit.*, tom. VIII, col. 92.

tum ordinem exercere minime possunt, *præsertim in ecclesiis quæ ad propriam sodalitatem non spectant*, nisi prius Episcopis aut vicariis generalibus vel foraneis superiorum suorum documenta proferant, quibus et obtenti ordinis testimonium et libertas ab omni canonico impedimento irregularitatis vel suspensionis perspecta fiat. » Luculenter etiam id confirmat Wiestner, S. J. (1).

III.

S. Missæ Sacrificium in prædictis ecclesiis publice offerri potest, ita ut Christi fideles eidem interesse et Ecclesiæ præcepto audiendi Missam dominicis aliisque festis diebus satisfacere possint. Hoc plures Summi Pontifices peculiaribus constitutionibus definiverunt. Leo X, Constitutione *Intelleximus*, edita die 13 novembris 1517, diserte ait : « Auctoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles, qui, non contempto proprio sacerdote parochiali, in ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, dominicis et festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati pœnamve incurrere (2). » S. Pius V, Constitutione *Etsi Mendican-*

(1) *Institutiones canonicæ*, lib. 1, tit. 22. *De clericis peregrinis*, num. 4, edit. Monachii, 1705. Ubi conceptis verbis hæc habet : « Episcopus suæ diœcesis prælatis, etiam regularibus, sub excommunicatione prohibere potest, ne sacerdotes sæculares aut etiam alterius (non sui) ordinis regulares peregrinos ad Missas in ecclesiis suis celebrandas admittant, prius quam ipse, inspectis eorum litteris commendatitiis, id permiserit, etiamsi prælati illi eorumque ecclesiæ sint exemptæ ; quia id agit tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, ne aliquis non sacerdos, aut a jure impeditus, temere se ingerat divinorum celebrationi. Ita cum Riccio et aliis Doctoribus allegatis Barbosa, *De officio Episcopi*, Alleg. 21, num. 8. Palao, *Tract.* 27, *Disp. unica*, p. 16, num. 2. Laiman, in cap. *Tuæ*, num. 3. »

(2) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. I, col. 592, edit. cit.

tium, data XVII kal. septembris ann. 1567, definivit: « Christi fideles, audiendo Missas in ecclesiis Fratrum hujusmodi diebus dominicis et festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur(1). » Clemens VIII in Brevi *Significatum*, dato ann. 1592, hæc statuit: « Præsenti nostro decreto sancimus, sæcularibus universis libere Missas diebus dominicis et aliis majoribus festis audire in ecclesia tam Fratrum Prædicatorum quam aliorum Mendicantium necnon etiam Societatis Jesu posse, dummodo id in contemptum parochialium ecclesiarum non faciant. »

Verum quidem est, ut ad hæc animadvertit Benedictus XIV (2), non defuisse auctores, inter quos *Jeunin* (3), et *Van Espen* (4), qui post has constitutiones editas propugnarent, teneri Christi fideles sub gravi peccato solemnioribus saltem diebus festis ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico interesse Sacro in propria cujusque parochia celebrando. Idque illi potissimum ideo affirmabant, quia per præfatas constitutiones derogatum non esset juri communi, quo cautum erat ut singuli fideles diebus festis Missæ parochiali adessent, nisi honesta causâ excusarentur. Sententiam suam firmabant ex eo, quod in istis Constitutionibus hæc adjecta legitur limitatio: « Dummodo id non faciant in contemptum parochialium ecclesiarum. » Atqui, ita porro argumentabantur, fieri non potest ut non adsit ille contemptus in iis qui sine ulla rationabili causa a propria se abducunt parochia.

Verum, ut optime notat sapientissimus Pontifex, si præfata Summorum Pontificum indulta ita essent explicanda, jam sensum nullum haberent; neque enim opus erat privilegio ad hoc, ut fideles, legitima urgente causa, alienam adirent ecclesiam, ut ibi Missæ Sacrificio interessent. Idque ex juris communis sanctionibus, quas paulo

(1) *Oper. cit.* tom. II, col. 243.
(2) *De Synodo diœcesana*, lib. XI, cap. 14, num. 9.
(3) *De Sacramentis*, diss. V, quæst. 7, cap. 2, art. 2.
(4) *Jus ecclesiasticum*, part. II, tit. 5, cap. 2.

Digitized by Google

ante citaverat Pontifex, perspicuum est. Quare, ne dicamus prædictos Pontifices verbis lusisse, nec ullum peculiare privilegium regularibus concessisse, necessario fatendum est, contemptum illum, de quo agimus, ita esse intelligendum, ut in eum minime incidisse censendus sit, qui solum alibi quam in sua parochiali ecclesia Sacro interfuerit; sed eo requiri, ut aliquis, sive expresse sive tacite, aversum a suo pastore animum ostenderit.

Notat ibi idem Pontifex, consuetudine in universo christiano orbe recepta, quæ naturam juris communis jam induit, integrum esse omnibus Christi fidelibus, ut in qualibet ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum, sacris Mysteriis intersint et Ecclesiæ præcepto de Sacro audiendo satisfaciant.

Ex his igitur manifesto patet, regularibus jus esse admittendi Christi fideles dominicis et festis diebus, ut in suis ecclesiis præcepto audiendi Sacrum satisfaciant. Unde et illud efficitur, nempe locorum Ordinarios aut parochos plebem non compellere sed hortationibus tantum allicere posse, ut dominicis diebus et festis de præcepto S. Missæ sacrificio in ecclesia parochiali intersint, quemadmodum statuit etiam Tridentina synodus (1), ubi Episcopos alloquens ait : « Moneant eumdem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedat. »

IV.

Contra vero regularibus cavendum est, ne monitionibus aut exhortationibus populum a frequentanda ecclesia parochiali avocent. Clemens V in concilio Viennensi in hanc rem edixit : religiosis « etiam in virtute sanctæ obedientiæ et sub interminatione maledictionis æternæ di-

(1) *Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ*, sess. 22.

Digitized by Google

strictius inhibemus, ne in sermonibus suis Ecclesiarum prælatis detrahant, aut etiam retrahant laicos ab ecclesiarum suarum frequentia vel accessu (1). » Quinimo Benedictus XIV, Constitutione *Etsi minime* (2), jubet ut regulares celebrationem festorum in ecclesiis suis ea ratione instituant, ut per eam non distrahantur fideles a frequentatione doctrinæ christianæ in ecclesia parochiali. « Sæpe enim contingit, inquit, in aliis ecclesiis, ac præsertim regularium, solemni ritu magnaque populi frequentia festum aliquem diem celebrari; ideoque, si in ecclesia parochiali summo mane aut statim a prandio Catechismus habeatur, aut nemo aut pauci admodum sunt qui eidem Catechismo intersint, quique præscriptas horas non causentur. Sin vero captentur horæ, civitatis commodo magis appositæ, usu compertum est, populum ad ecclesiam confluere, in qua festus dies agitur, et celebritate pompæ illectum doctrinam christianam non sine gravi animæ detrimento deserere. In hoc articulo quia certa et communis regula præscribi non potest, id totum relictum esse volumus prudentiæ vigilis ecclesiæ Antistitis, qui attenta loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis, ita studeat solemnis diei celebritatem cum doctrina christiana componere, ne alteri altera sit impedimento. Quod si regulares et exempti contradixerint, et sanctum hoc doctrinæ opus, licet ab Episcopis prius admoniti, suis functionibus perturbare præsumpserint, Nostram locorum Ordinariis auctoritatem, qua potimur in exemptos, pollicemur; nec alia Pontificiæ vigilantiæ deerunt remedia, ne parochiales ecclesiæ debitis fraudentur obsequiis. »

(1) Clem. *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 1. *Religiosi* (lib. V, tit. 7).

(2) Benedicti PP. XIV *Bullarium* tom. I, col. 93, edit. cit.

V.

Cæterum nequaquam prohibitum est regularibus missas celebrare et campanas pulsare in suis ecclesiis ante celebrationem Missæ aut pulsationem campanæ in ecclesia parochiali. Die tamen Sabbati Sancti campanas pulsare ipsis non licet, antequam pulsetur campana *Majoris* ecclesiæ; quemadmodum sæpius definitum est tum a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, tum a S. Congregatione Interpretum Concilii Tridentini (1).

§ II.

De administratione Sacramenti Eucharistiæ.

I. ***Regulares in suis ecclesiis SS. Eucharistiæ Sacramentum Christi fidelibus administrare possunt, excepto die Paschatis; hi tamen præcepto Paschalis Communionis non satisfaciunt, ibi SS. Eucharistiæ Sacramentum Paschali tempore sumendo,***

II. ***Nisi Ordinarii vel parochi sui licentiam obtinuerint.***

III. ***In aliquibus tamen circumstantiis regulares prudenter agerent, si Eucharistiæ Sacramentum Christi fidelibus tempore Paschali non distribuerent.***

IV. *Regulares jus non habent administrandi SS. Sacramentum Christi fidelibus* per modum Viatici.

V. *Nec etiam famulis conductitiis aut aliis personis sæcularibus, qui in eorum monasteriis ad tempus habitant.*

(1) Cfr. *Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii*, tom. XXX, die 28 februarii an. 1761. Squillacen. *Celebrationis Missarum et functionum conventualium.*

Digitized by Google

VI. *Nec convictoribus seu scholaribus, qui in eorum collegiis studiorum causa morantur.*

VII. *Neque jus habent illud extra suam ecclesiam sæcularibus administrandi* devotionis causa.

VIII. Expositio SS. *Eucharistiæ regularibus prohibita est, nisi causa publica sit et ab Ordinario probata.*

IX. *Non prohibentur* Expositio *privatim facta.*

I.

SS. Eucharistiæ Sacramentum in ecclesiis regularium omnibus Christi fidelibus ministrari potest vi privilegii a Summis Pontificibus Julio II, Nicolao V, Sixto IV, Eugenio IV, Leone X concessi (1), quod a S. Pio V confirmatum et per communicationem privilegiorum ad omnes regulares extensum est. Unus dies Paschatis excipitur, quo administratio hujus Sacramenti in ecclesiis regularium prohibita est.

De hac tamen exceptione sæpe controversia fuit. Ac primo quidem in dubium vocabatur, an de hac exceptione satis constaret; deinde ambigebatur, utrum ea exceptio referenda esset ad unam dominicam diem Paschatis, an vero ad integrum tempus Paschale, quod currit a dominica Palmarum usque ad dominicam *in albis* (2). At S. Congregatio Concilii censuit, teste Benedicto XIV (3), « Sola die solemnitatis Paschatis *absolute* prohiberi regulares, ne Eucharistiam in suis ecclesiis porrigant sæcularibus, etiamsi isti jam antea annuæ Communionis præceptum in propria parochia impleverint; aliis vero diebus impediri non posse, quominus illam distribuant, modo sæculares, Eucharistico Pane in eorum ecclesiis refecti,

(1) Tamburinus, *De jure abbatum*, tom. II, disp. 3, quæst. 3.

(2) Cfr. *Thesaur. Resolut. S. Congr. Conc.*, tom. VII, die 3 decembris ann. 1735. Suessana, *Jurium parochialium.*

(3) *De Synodo diæcesana*, lib. IX, cap. 16, num. 3.

non se solutos arbitrentur ab obligatione illum percipiendi a proprio sacerdote. » In cujus rei confirmationem Pontifex Maximus duo profert S. Congregationis Concilii decreta. Primum prodiit in causa Burdigalen., die 9 julii ann. 1644, iterumque confirmatum fuit in una Senonen., die 11 junii ann. 1650 (1), cujus verba hæc sunt : « S. Congregatio Concilii post maturam discussionem censuit, Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere regularibus habentibus privilegia Apostolica, ut a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive non valeant ministrare personis sæcularibus Sacramentum Communionis; posse tamen iisdem prohibere, ut personis sæcularibus die Paschatis non administrent dictum Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares satisfecissent præcepto Ecclesiæ hac de re edito. » Alterum decretum emanavit in causa Mechlinien., ann. 1682, quod in S. Congregationis actis ita legitur adnotatum : « Parochi loci Lovanii conquerentes SS. Eucharistiæ Sacramentum personis sæcularibus ministrari a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis a regularibus, et præsertim Societatis Jesu, prætextu privilegiorum; unde arguunt juribus parochialibus præjudicium inferri et Ecclesiæ præceptum eludi, cum non desint falso asserentes, se in ecclesiis regularium illi satisfecisse; libellum porrexerunt Sanctissimo Domino Nostro, ut hisce malis occurreret, vetando regularibus, ne præfato tempore dictum Sacramentum audeant ministrare. Cum autem Sanctitati Suæ placuerit ad S. Congregationem Concilii remittere hujusmodi preces, patri procuratori provinciæ Belgicæ Societatis Jesu successive communicatas, proponitur dubium : « ***An patres Societatis Jesu aliique regulares possint » ministrare SS. Eucharistiæ Sacramentum personis sæcula- » ribus a dominica Palmarum usque et per totam dominicam » in Albis.*** « Cui dubio die 31 januarii ejusdem anni 1682 responsum fuit : « ***Affirmative, excepto die Paschatis; ita***

(1) *Decretorum*, lib. IX, col. 54.

tamen ut in aliis diebus sumentes Eucharistiam a regularibus intra duas hebdomadas Palmarum et Paschatis non satisfaciant præcepto.

II.

Obiter autem hic notandum est, posse Christi fideles etiam in ecclesiis regularium præceptum Paschalis Communionis adimplere, dummodo accedat licentia Ordinarii vel parochi. Ait enim Benedictus XIV, in Epistola Encyclica *Magno cum animi nostri dolore*, ad Primatem et Episcopos Poloniæ (1): « Nemo est qui ignoret, præceptum hoc (Communionis Paschalis) in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut *in alia ecclesia cum proprii Episcopi vel parochi licentia*, secundum varias diœcesium consuetudines. »

Hæc ergo cum a S. Congregatione Concilii ita decreta sint atque firmata, ne leve quidem dubium moveri amplius potest de regularium jure ac privilegio Christi fidelibus administrandi in suis ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ, integro etiam tempore Paschali, uno dumtaxat die Paschatis excepto.

Notandum autem est, regularibus *absolute* prohibitum esse, die Paschatis SS. Eucharistiam sæcularibus porrigere, etiamsi hi jam ante Communionis præceptum in propria parochia impleverint. Ad hanc S. Congregationis Concilii sententiam non attenderunt scriptores illi, qui existimarunt, regulares S. Communionem etiam die Paschatis ministrare licite posse iis Christi fidelibus, qui præceptum Communionis Paschalis in parochiali ecclesia jam impleverunt. In eo falli videntur Doctores isti, quod opinantur, exceptionem, de qua agimus, intelligi tantum

(1) BENEDICTI PP. XIV *Bullarium*, tom. VII, col. 55.

debere de casu, quo aliquis eo die Communionis Paschalis præcepto satisfacere vellet Eucharisticam Communionem in ecclesia regularium sumendo; et, si jam huic præcepto satisfecisset, nihil obstare, quominus S. Synaxi in ecclesia regularium die Paschatis iterum reficeretur. Hæc enim opinio jam aperte ex ante laudatis Benedicti XIV verbis (*supra*, pag. 103) refellitur.

III.

Sed præterea, ut nobis quidem videtur, locorum quorumdam circumstantiæ ita comparatæ esse possunt, ut in ecclesiasticæ disciplinæ observantiam et Christi fidelium utilitatem consultum sit regularibus ab usu privilegii sui, S. Communionem tempore paschali distribuendi, aliquando abstinere. Finge enim, magnum parochianorum numerum in ecclesia regularium tempore paschali *ad Pœnitentiæ tribunal* accedere; unde fieri potest, ut eorum multi Sacramentum Eucharistiæ eodem tempore in eadem ecclesia recipiant, existimantes se hac S. Communione Ecclesiæ præceptum adimplere; hoc ergo si alicubi contingat, et parocho ipsisque regularibus experientia constet, errorem istum inter parochianos esse sat communem, seque suis ea de re monitionibus parum aut nihil profecisse, peto, an in hujusmodi rerum adjunctis satius non esset, ut regulares ab illius privilegii usu abstinerent, præsertim si Ordinarius aut parochus loci id ab ipsis peteret. Privilegia hujus generis, quod probe notent regulares, recensentur inter jura *facultativa*, hoc est, inter ea quibus non semper uti debent, sed quorum usui pro rerum circumstantiis renuntiare, ad tempus saltem, possunt. Age vero, sicubi res ita comparatæ sint, ut eas modo fingebamus, nemo sane negaverit, privilegii istius usum tunc in Ecclesiæ et Christi fidelium destructionem cessurum esse potius quam in eorum ædificationem. Atqui Summorum Pontificum

procul dubio non ea fuit mens, ut regulares privilegiis concessis uterentur, etiam si disciplina ecclesiastica, cujus finis fidelium ædificatio est, ex illorum privilegiorum usu aliquid detrimenti caperet.

Nec juvat dicere, Summos Pontifices nullum diem præter festum Paschatis excepisse a prædicti privilegii usu. Exceptio enim, quam nos indicamus, in æquitate fundata est, atque adeo in omni privilegii concessione tacite continetur.

Nec aliquid efficeret qui moneret, fuisse jam S. Congregationi Concilii propositum casum similem illi, quem modo fingebamus, fuisse autem responsum, regulares jure suo Eucharisticam Communionem Paschali tempore in suis ecclesiis ministrare. Nihil, inquam, hinc contra nos effici potest. Non enim affirmamus, illud ipsis eo casu ne quidem *de rigore juris* licere; sed solum contendimus, in particulari illo casu a nobis posito, regulares acturos esse prudenter, et Ecclesiæ causam promoturos, si illius privilegii usui ad tempus renuntiarent; cum hoc ecclesiasticæ disciplinæ observantiæ multum prodesset.

In his et similibus causis memores simus verborum S. Bernardi (1) : « Spiritualis homo.... omne opus suum trina quadam consideratione præveniet : primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an et expediat. Nam etsi constet in Christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet et licet; non continuo tamen omne, quod licet, decere aut expedire consequens erit. » Quinimo in nonnullorum regularium ordinum constitutionibus conceptis quidem verbis cautum est, ne religiosi viri privilegiis justa de causa concessis cum Ordinariorum offendiculo utantur (2). Optandum igitur est, ut ipsi hujusmodi constitutiones observent. Et omnino

(1) *De consideratione,* lib. III, cap. 4, num 15. *Oper.* vol. I, col. 432, edit. Parisiis, 1690.

(2) Cfr. Daude, *S. J. Majestas hierarchiæ ecclesiasticæ,* part. II, sect. 2, num. 5; ubi citat in eam rem ex Congregatione generali V Societatis Jesu, Decret. 25, et Regul. 10 *Sacerdotum.*

etiam iis regularibus, in quorum statutis cautela illa, de qua mox dicebamus, non expresse memoratur, omnino cavendum est, ne imprudentior privilegiorum usus in ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum cedat.

Et sane, quod salva pace religiosorum virorum hic adjicere liceat, si qui regulares in omnibus procedere vellent secundum rigorem juris, nec umquam satisfacere expressæ voluntati Ordinarii rationabiliter petentis, ut per aliquod tempus, in certis quibusdam rerum circumstantiis, a quorumdam privilegiorum usu abstinerent, an fieri non posset ut eo in casu Ordinarius etiam secundum rigorem juris agere vellet cum ipsis? Sic, ut ab exemplo proposito non recedamus, si cuidam Ordinario constaret, multos Parochianos in sua parochiali ecclesia præcepto Communionis paschalis non satisfacere, idque ex eo venire quod quidam regulares in suis ecclesiis sæcularium confessiones excipiant, sane posset tunc Ordinarius regulares illos jurisdictione sæcularium confessiones excipiendi privare per totum paschale vel per longius etiam tempus. Nec vero is, ita agendo, potestatis suæ limites excederet, ut videbimus, ubi sermo erit de administratione sacramenti Pœnitentiæ.

IV.

Jus Eucharistiæ sacramentum administrandi regularibus non competit extra suam ecclesiam. Quod primo quidem ita est intelligendum, ut ipsis non liceat sacramentum hoc administrare Christi fidelibus *per modum Viatici.* Hoc autem si facere præsumerent sine necessaria licentia, *ipso facto* incurrerent excomunicationem Sedi Apostolicæ reservatam. Statuit enim Clemens V in œcumenica synodo Viennensi: « Religiosi qui clericis aut laicis sacramentum Unctionis Extremæ vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnisare, non habita super his parochialis pres-

Digitized by Google

byteri licentia speciali, præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam *ipso facto*, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi (1). » Cum vero Summus Pontifex utatur verbo *præsumpserint*, Pragmatici communi sententia docent, regulares a prædicta censura excusari, si ex iguorantia etiam *crassa* in hanc Pontificiam constitutionem impegissent.

V.

Quæ modo diximus adeo vera sunt, ut regulares sacramentum Eucharistiæ *per modum Viatici* sine parochi licentia ne famulis suis quidem administrare licite possint, quos, ut in his regionibus mos est, ad tempus conducunt. Ut enim hujusmodi personæ exemptionis jure gaudeant, tres conditiones simul concurrere debent; scilicet eo requiritur ut illi famuli regularibus actu inserviant, ut intra eorum septa ac domos resideant, et tandem ut sub eorum obedientia vivant (2). Atqui nemo dixerit, famulos conductitios vivere sub regularium *obedientia*.

Inde vero consequitur, idem omnino dicendum esse de aliis personis sæcularibus, quæ ad tempus in regularium domibus seu monasteriis commorantur. Quam in rem adferre juvat resolutionem S. Congregationis Concilii (3). Res hæc erat : Comes Eustachius Pallio se contulerat ad conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini civitatis Astensis, et in eo, solutis conventui alimentis, sæculari indutus habitu vitam ducebat. Quum dein morbo lethali correptus esset, patres eidem SS. Eucharistiæ

(1) Clem., *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 1. *Religiosi* (lib. V, tit. 7).

(2) Cfr. *Conc. Trid.*, sess. 24, cap. 11. *De reform.* Benedicti XIV, *Quæstiones canonicæ*, quæst. 239.

(3) *Thesaur. resolut. S. Congr. Conc.* Asten. *Jurium parochialium*, tom. 1, col. 8.

Digitized by Google

Viaticum et Oleum infirmorum administraverant, atque ejus corpus sepulturæ mandaverant sine parochi præsentia et interventu. Re ad S. Congregationem delata, propositum fuit dubium : *An patres S. Augustini licite potuerint, irrequisito parocho, sacramenta administrare et corpus tumulare in casu.* Responsum fuit, *Negative.*

VI.

Dubium superest de alumnis seu scholaribus in monasterio sive domo regularium per majorem anni partem studiorum causa commorantibus; an scilicet his, dum infirmantur, Eucharistiæ Sacramentum *per modum Viatici* a regularibus administrari possit, non petito parochi consensu? Verum ex dictis jam manifestum est, jus istud regularibus non competere secluso speciali Sedis Apostolicæ privilegio. An autem hujusmodi privilegium aliquibus regularibus concessum fuerit, nobis non constat. Sed hoc unum certum habemus, Patribus Societatis Jesu, qui gaudent communicatione privilegiorum aliorum ordinum regularium, etiam Mendicantium, id nondum fuisse concessum cum Em. Card. De Lugo quæstionem hanc pertractaret (1) : *An convictores seminarii reputentur ut familiares Societatis in ordine ad recipienda Sacramenta.* Resolvit De Lugo, juvenes, qui studiorum causa in collegio aut monasterio regularium per majorem etiam anni partem morantur, non ut *hospites,* sed ut *inquilinos* habendos esse, et ideo Viaticum hujusmodi convictoribus a regularibus ministrari non posse sine generali aut speciali licentia Ordinarii vel parochi. Verba eminentissimi viri perspicua sunt; nam ait : « Addo denique, etiamsi ecclesiæ et domus illæ sint proprie domus et ecclesiæ Societatis,... non video tamen, qua facultate possit illis (con-

(1) *Responsa moralia,* lib. IV, dub. 33, edit. Lugdun., 1651.

Digitized by Google

victoribus vel alumnis ibi ægrotantibus) *Viaticum vel Communio Paschalis* dari sine licentia parochi vel Ordinarii. »

VII.

Porro ex iis, quæ in principio hujus § allegavimus, etiam evincitur, regularibus fas non esse SS. Eucharistiæ Sacramentum ministrare infirmis *devotionis causa* extra eorum ecclesiam, nisi speciale obtinuerint indultum. Neque refert, utrum inter jura *parochialia* an *quasi-parochialia* sit recensendum jus infirmis S. Communionem *devotionis causa* administrandi. Nam, hoc ipso quod regulares eam in rem exhibere non possunt privilegium vel licentiam, sequitur ex allata *Clementina*, ipsis prohibitam esse prædictam SS. Sacramenti administrationem, et quidem sub excommunicationis interminatione, ut docet Suarez (1) his verbis : « Non tantum incurritur hæc excommunicatio, si Eucharistia detur in necessitate per modum Viatici,... sed in universum, sive in necessitate sive extra illam, sive publice sive occulte ministretur; quia verba legis sunt generalia; neque est ulla ratio ad limitanda illa, præsertim cum eadem censura ibi apponatur propter alios actus minus graves minusque necessarios, quam sit Communio quomodocumque data. » Notari autem debet, Suarez per *necessitatem* non intelligere dejectum alterius ministri, sed morbi gravitatem seu ægroti periculum. Nam alibi cum plerisque aliis docet, regularem non incidere in excommunicationem, si alicui in extremis constituto, et parocho deficiente, administret sacramentum non solum Eucharistiæ, verum etiam extremæ Unctionis; quia credi non potest, Ecclesiam velle, ut Christi fideles remediis tam salutaribus in illis circum-

(1) *In III partem S. Thomæ*, tom. III, quæst. 82, art. 3, disp. 72, sect. 2, col. 914, edit. Moguntiæ, 1650.

stantiis priventur. Ita ut tunc illorum sacramentorum administratio censeatur fieri tacita licentia vel parochi vel Episcopi vel Romani Pontificis (1).

VIII.

Quod ad *expositionem SS. Sacramenti* attinet, de ea complura edita sunt decreta sacrarum congregationum, ex quibus constat, SS. Eucharistiæ Sacramentum exponi non posse, *nisi publica causa intercedat*, quæ ab Ordinario probari debet, qui, ut ait Benedictus XIV (2), *solus facultatem impertiri potest non modo in suis ecclesiis, sed in illis etiam quæ ad regulares pertinent*, et quæ ab Episcopi jurisdictione penitus immunes judicantur. Operæ pretium est hic adjicere aliquot ex iis decretis, quæ tum Benedictus XIV, tum Gardellinus (3) publici juris fecerunt.

Benedictus XIV (4) exhibet decretum S. Congregationis Concilii, editum die 17 augusti ann. 1630, in causa NEAPOLITANA : « S. Congregatio censuit, non licere regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, SS. Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica quæ probata sit Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum ita, ut ipsa Sacra Hostia videri non possit. » Addit autem idem Pontifex, etsi hoc decretum pro peculiari casu promulgatum sit, pro generali tamen regula deinceps a S. Congregatione receptum fuisse, ita ut quoties hujus generis causæ postea propositæ fuerunt, idem statuendum responderit, quod in hac causa Neapolitana sancitum fuit.

(1) Cfr. DE ROORE, *Tractatus theologici de casibus reservatis*, tom. III, part. 2, cap. 2, num. 692, edit. Lovanii, 1756.

(2) *Instit. can.*, Instit. XXX, num. 9.

(3) *Decreta authentica Congregationis SS. Rituum*, edit. Romæ, 1824.

(4) *Loc. cit.*, num. 11.

Gardellinus sequentia refert responsa Congregationis SS. Rituum : Isernien. « Petitum fuit responderi : *An regulares possint publice exponere SS. Sacramentum absque licentia Ordinariorum;* S. Congregatio die 21 julii ann. 1635 respondit, *non posse*(1). » Urbaniæ : « Petiit Episcopus Urbaniæ, an ipse possit uti in sua diœcesi decretis alias editis, quibus statuitur non licere regularibus exponere SS. Eucharistiæ Sacramentum sine licentia Ordinarii; S. Congregatio die 12 junii ann. 1638 respondit, debere uti, *etiam non obstante contraria consuetudine* » (2). Si vero contingat, ut hæc licentia ab Ordinario concedatur adjecta clausula : *accedente parochi consensu,* non sufficit ut parochi licentia petatur, sed revera obtineri debet, antequam regulares eadem uti possint; atque in eo casu potest parochus ex justa causa consensum suum denegare, prout liquet ex Senogallien., *Jurium parochialium.* Propositis enim dubiis : 1° *An obtenta a patribus* (Minoribus conventualibus S. Francisci) *licentia Ordinarii exponendi SS. Eucharistiæ Sacramentum cum clausula : accedente consensu parochi, teneantur requirere consensum ejusdem parochi;* 2° *An sufficiat ad effectum prædictum consensus petitus licet non obtentus, sive potius ex justa causa possit parochus illum denegare;* S. Rituum Congregatio die 9 maii ann. 1705 respondendum censuit, ad 1m, *Affirmative;* ad 2m, *Ad primam partem dubii, Negative, ad secundam, affirmative*(3).

IX.

Verum hæc decreta, quantumvis videantur esse generalia, non tamen ita intelligenda sunt, perinde ac si omnis prorsus SS. Eucharistiæ Expositio sine prævia Or-

(1) *Oper. cit.* tom. I, col. 280, num. 874.
(2) *Oper. cit.* tom. I, col. 288, num. 914.
(3) Tom. IV, col. 28, num. 3573.

Digitized by Google

dinarii licentia regularibus esset prohibita. Nam quod ex posterioribus verbis modo allati decreti S. Congregationis Concilii jam effici posset, nempe regularibus fas esse ex causa privata SS. Eucharistiæ Sacramentum exponere sine Ordinarii licentia, id Benedictus XIV (1) etiam confirmat, ubi ait : « Si tamen sermo sit de exponenda *privatim* Eucharistia, cum nullis Ecclesiæ legibus publica causa et Episcopi facultas necessario requirantur, rem totam ad præfectum illius ecclesiæ rejicimus, ubi vel pro alicujus ægritudine levanda, vel pro necessitate ac desiderio alicujus religiosi viri S. Eucharistia debet exponi. In quo hanc normam observandam præscribimus, ut nempe Eucharistiæ tabernaculum solum aperiatur, et sacra pyxis clausa suoque velamine obtecta populi oculis subjiciatur. »

Atque modum hunc ex ecclesiæ legibus servandum esse, liquet etiam ex iis quæ S. Congregatio Episcoporum ac Regularium negotiis præposita decrevit die 6 decembris anno 1602 his verbis : *Si quandocumque privata in causa SS. Eucharistia exponenda videbitur, e tabernaculo numquam extrahatur; sed in pyxide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alicujus sacerdotis, stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur; quod idem in ecclesiis sæcularium servari mandamus.*

§ III.

De administratione sacramenti Pœnitentiæ.

I. *Ut sacramentum Pœnitentiæ administrare possit sacerdos, requiritur ut habeat jurisdictionem* determinatam.

(1) *Instit. cit.*, num. 16.

Digitized by Google

II. *Hanc jurisdictionem non habent regulares de jure communi pro audiendis confessionibus* sæcularium.

III. *Eam tamen habent pro regularibus sui ordinis.*

IV. *Sed ut jurisdictionem istam in moniales sui ordinis exercere possint, approbatione Ordinarii loci indigent;*

V. *Qui etiam negligentiam Prælati regularis in deputando confessario extraordinario monialium supplere potest.*

VI. *Regulares assumi tantum debent ad confessiones sæcularium audiendas in subsidium et defectum cleri sæcularis.*

VII. *Ut regulares sæcularium confessiones excipere possint, non sufficit approbatio cujuscumque Episcopi, sed requiritur illius, in cujus diœcesi confessiones excipiendæ sunt.*

VIII. *Antequam Episcopus approbationem concedat, fas ipsi est regulares quoscumque, tam Prælatos quam S. Theologiæ lectores, in examen vocare.*

IX. *Non tamen ad illud tenetur, si aliunde eos novit esse idoneos.*

X. *Ordinarius semper* ad tempus *jurisdictionem concedere potest, nec umquam debet* illimitate *eam concedere.*

XI. *Si* ad tempus *concessit, elapso tempore non debet eam prorogare.*

XII. *Si* simpliciter et illimitate *concessit, non potest eam pro libitu revocare, sed tantum ex causa rationabili ad ipsam confessionem pertinente.*

XIII. *Ut hæc dispositio locum habeat, necesse est ut regulares* prævio examine *sint approbati.*

XIV. *Quæ dicitur* causa ad ipsam confessionem pertinens.

XV. *Sed etiamsi Ordinarius sine justa causa revocaret jurisdictionem, ea nihilominus cessat.*

XVI. *Ordinarius potest revocare quomodocumque approbatos a suo prædecessore.*

XVII. *Non potest Ordinarius privare jurisdictione omnes simul regulares alicujus monasterii.*

XVIII. *Regulares* simpliciter *approbati non indigent facultate parochi ad audiendas confessiones tempore paschali vel infirmorum.*

Digitized by Google

XIX. *Ordinarius tamen potest in eam rem clausulam aliquam adjicere in actu approbationis.*

XX. *Regulares, qui simpliciter approbati sunt, non hoc ipso possunt absolvere a casibus Ordinario reservatis.*

XXI. *Neque fas ipsis est excipere confessiones sacramentales in domibus vel oratoriis privatis laicorum, nisi in casibus a jure expressis.*

I.

Constans est Ecclesiæ doctrina, ut sacerdotes sacramentum Pœnitentiæ valide administrare possint, præter potestatem *ordinis* requiri potestatem *jurisdictionis*, ut Tridentina synodus (1) disertis verbis declaravit. Postquam enim definivit, absolutionem sacerdotis « non solum esse nudum ministerium vel annuntiandi evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed adinstar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur, » ita loqui pergit (2), « Quoniam igitur natura et ratio judicii » illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat fera» tur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissi» mum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti » absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum » profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet » jurisdictionem. »

Itaque *indeterminata* illa potestas, quæ per sacram Ordinationem cuilibet sacerdoti confertur his verbis : « Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, » etc., etsi omnino necessaria sit, ea tamen ad valorem sacramentalis absolutionis non sufficit; sed insuper requiritur altera potestas ligandi et solvendi *determinate* eos fideles, qui sacerdotis jurisdictioni subjecti sunt.

(1) Sess. 14, cap. 6, *De Pœnitentia.*
(2) Ibid. cap. 7.

Atque hæc etiam ideo omnino necessaria est, quod judicandi potestas, qualis est potestas ligandi et solvendi, nonnisi in subditos possit exerceri. Est hæc communis Theologorum et Canonistarum, immo totius Ecclesiæ sententia.

II.

Ex his jam statim efficitur, sacerdotes ordinum regularium non posse nisi obtenta peculiari facultate, Pœnitentiæ sacramentum administrare Christi fidelibus sæcularibus, quum hi eorum subditi non sint. Hoc autem non solum ex allegatis Tridentinæ synodi verbis merito potest inferri, sed idem etiam ex altera ejusdem synodi sanctione perspicuum est. Etenim « quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ante parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus (1). »

Neque regularibus suffragatur Apostolicum privilegium vi Bullæ *Cruciatæ*, quam vocant, concessum, ut liquet ex Brevi, *Cum sicut*, Innocentii XII, et ex Constitutione, *Apostolica indulta*, Benedicti XIV (2). Refert hic sapientissimus Pontifex, Innocentium XII per Apostolicas istas litteras declaravisse, « prædictam Bullam *Cruciatæ*, quoad approbationem confessariorum nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere contra formam Concilii Tridentini et prædictarum constitutionum Apostolicarum;

(1) Sess. 23, cap. 15, *De Reform.*

(2) Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. II, col. 79, edit. cit.

adeo ut confessarii tam sæculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ *Cruciatæ*, a pœnitentibus ad audiendas sacramentales eorum confessiones electi, nullatenus hujusmodi confessiones audire valeant sine approbatione Ordinarii et Episcopi diœcesani loci, in quo ipsi pœnitentes degunt et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt. »

At quum Innocentius XII indultum per Bullam *Cruciatæ* concessum tantummodo generatim expressisset, et Innocentius XIII Apostolicis Litteris, *In supremo militantis Ecclesiæ solio*, alterius cujuscumque generis privilegia etiam generatim tantum indicasset, idcirco Benedictus XIV, ut fidelium conscientiæ securius dirigerentur, non modo prædecessorum suorum decreta auctoritate Apostolica approbavit et confirmavit, verum etiam eadem auctoritate statuit et declaravit, « quod idem omnino jus, quod vigore decretorum hujusmodi circa intelligentiam et usum indulti Bullæ *Cruciatæ* obtinet, etiam quoad reliqua ejusdem generis indulta pariformiter valere debeat et obtinere. »

III.

Cum vero regularium ordines, qui *Exemptionis* privilegio gaudent, Prælatorum suorum, non autem Episcoporum ordinariæ jurisdictioni sint subjecti, dicendum est, prælatos regulares habere potestatem ministrandi Pœnitentiæ sacramentum religiosis sui ordinis; neque ad hoc necesse est ut ab Ordinario loci, in cujus territorio situm est monasterium, jurisdictionem postulent. Nam virtute istius privilegii prælati regulares sunt judices ordinarii suorum subditorum regularium, et in ipsos jurisdictionem habent quasi episcopalem, quæ inter cætera comprehendit potestatem subditos a quibuscumque peccatis et censuris non specialiter reservatis absolvendi, atque eamdem potestatem

aliis delegandi. Neque his obstat laudata lex concilii Tridentini; quum ea tantum agat de audiendis confessionibus *sæcularium*. Ex singulorum autem regularium ordinum constitutionibus dignosci debet, quinam præpositi habeantur prælati ordinaria jurisdictione pollentes.

Itaque regulares subditi Pœnitentiæ sacramentum suscipere debent a confessariis sui ordinis; neque possunt pro arbitrio sibi confessarium aliquem eligere eique peccata confiteri sine licentia sui prælati. Privilegium enim per Bullam *Cruciatæ* (1) hac in re concessum, quoad omnes regulares revocatum fuit a Summis Pontificibus S. Pio V, Gregorio XIII, Clemente VIII et Urbano VIII, teste P. Didaco ab Aragonia, Ord. Min. (2). At quousque illa Prælati licentia necessaria sit iis qui extra monasterium itineris causa vel alias morantur, hoc iterum ex singulorum ordinum constitutionibus colligendum est.

IV.

Sin vero agitur de excipiendis confessionibus Sanctimonialium, inprimis animadvertendum est, alias moniales a jurisdictione Episcoporum exemptas et Prælatis suis regularibus subditas esse, alias vero omni modo regimini et jurisdictioni Episcoporum subjacere.

Monialibus porro non exemptis solus Episcopus sacra-

(1) « Bulla *Cruciatæ* sic dicitur, inquit Lucius Ferraris, *Bibliotheca canonica*, verb. *Bulla Cruciatæ*, edit. Romæ, 1767, quia olim hæc Bulla concedebatur militibus, qui rubeo signo Sanctæ Crucis insigniti ad bellum contra Turcas proficiscebantur sub Urbano II, et in concilio Lateranensi sub Julio II. » Postea autem Summi Pontifices aliis etiam Christi fidelibus eamdem concesserunt. Bulla ista multas comprehendebat gratias peculiares, et inter alias etiam illam, ut, qui eam obtinuissent, confessarium ex approbatis ab Ordinario sibi eligere possent. Cfr. Lucius Ferraris, *oper. et loc. cit.*

(2) *Dilucidatio privilegiorum ordinum regularium*, tract. VI, cap. 1, num. 9, edit. Bononiæ, 1765.

menti Pœnitentiæ ministrum deputare potest, eique jurisdictionem impertiri.

Quod autem attinet ad exemptas, quum hæc Prælatis suis, non autem Episcopis subditæ sint, jurisdictio ad audiendas earumdem confessiones tribui debet a Prælato regulari, qui eum in finem deputare potest sacerdotem sive regularem sive sæcularem. Verum ut confessarius deputatus jurisdictionem, sibi collatam a Prælato, licite et valide exercere possit, præterea approbationem et licentiam ab Episcopo diœcesano petere debet et obtinere. Hoc enim expressis verbis, quæ sequuntur, sancivit Gregorius XV, constitutione *Inscrutabili* (1): « Confessores vero regulares, sive sæculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. » Idem statuit Clemens X, constitutione *Superna*, his verbis (2) : « Religiosos... generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. » In eamdem sententiam sæpius editæ sunt resolutiones a S. Congregatione Concilii, præsertim in PHARAONEN., *Jurisdictionis*, 19 septembris et 14 novembris 1733 (3); in ARIMINEN., 13 et 27 januarii 1748 (4); OMOLUCEN., *jurisdictionis*, 7 junii 1755.

(1) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. V, col. 452, edit. cit.
(2) *Oper. cit.* tom. VI, col. 305.
(3) *Thesaur. Resolut. S. Congr. Conc.* tom. VI, col. 153 et 159, dub. III.
(4) *Oper. cit.* tom. XVII, col. 3 et 5, dub. XI, XII et XIV.

Digitized by Google

V.

Præterea, quum ex antiquo Ecclesiæ more religiosis mulieribus in claustris degentibus certus et unicus tantum sacramenti Pœnitentiæ minister a monasterii Prælato designari consueverit, Patres Tridentinæ synodi (1) sanxerunt, ut Episcopi aliique monasteriorum prælati subjectis sibi monialibus confessarium extraordinarium quotannis bis vel ter offerre debeant, his verbis : « Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo aut aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. » Hanc legem denuo confirmavit Benedictus XIV, Constitutione *Pastoralis curæ*(2), qua inter cætera et hoc statuit, ut, « si Prælatus regularis eamdem Concilii legem, de confessore extraordinario bis aut ter in anno monialibus sibi subjectis exhibendo, implere neglexerit, tunc locus fiet decreto Congregationis S. R. E. Cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem et exequutionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad quæstionem ab Episcopo Vercellensi propositam die 25 augusti anni 1631 rescripsit : *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi, an deputatio confessarii extraordinarii monialium regularibus subjectarum spectet ad ordinarium loci.* S. Congregatio censuit, *ad Episcopum non pertinere nisi in casu negligentiæ eorumdem regularium;* ut videre licet Decretorum lib. 14, pag. 493. Nec aliter respondit quæstionibus ab Episcopis Belgii exhibitis die 6 aprilis anni 1647, ut legitur Decretorum lib. 18, pag. 397. »

Porro hæc rescripta et decreta hac eàdem constitutione *Pastoralis curæ* et Apostolica auctoritate in omnibus idem Pontifex approbavit et confirmavit.

(1) Sess. 25, cap. 10, *De Regularibus.*

(2) Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. V, col. 77, edit. cit.

VI.

Priusquam tractemus quæstionem de jurisdictione seu approbatione Ordinarii, quæ regularibus necessaria est, ut sæcularium confessiones excipere] possint, monendum esse duximus, Ecclesiæ mentem esse, ut regulares in negotiis et officiis ecclesiasticis, quæque animarum curam sæcularium respiciunt, in subsidium tantum et defectum cleri sæcularis generatim ab Episcopis assumantur, et quatenus clerus sæcularis sive propter exiguum numerum sive aliam ob causam ad ea officia adimplenda minus aptus sit. Hanc vere esse mentem Ecclesiæ, et ex universa ecclesiasticæ disciplinæ œconomia conficitur, et ex iis quæ tum a sapientissimis institutoribus aliisque sanctis regularium ordinum viris tum a Summis Pontificibus sæpius in hanc rem prolata fuerunt. S. Bonaventura quidem apposite ait (1) : « Temperatissime disposuit divina Sapientia et instituit Sedes Apostolica, ut per ordines prænotatos in prædicatione et confessione defectus cleri suppleantur et animæ salventur, et nec in temporalibus nec in spiritualibus jus clericorum aliquatenus minuatur. » Et alibi dicit : « Religiosi auxilium præbent curatis, non ut domini, non ut curam animarum habentes, sed ut servi in charitate. »

Idem data opportunitate definiverunt Summi Pontifices; inter cæteros Benedictus XIV, in Apostolicis litteris *Quæ venerabiles Fratres*, quas in forma Brevis dedit ad Archiepiscopos et Episcopos nationis Ruthenæ in regno Poloniæ (2), qui in negotiis et ministeriis ecclesiasticis viros regulares potius quam sæculares eligebant; idque ideo præstabant quod, ut Pontifex supponit, clerus sæcularis sacrarum disciplinarum scientiis non satis esset im-

(1) *Opusculum in quo decernitur, quare Fratres prædicent et confessiones audiant. Oper.* tom. V. col. 724, edit. Venetiis, 1754.

(2) Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. VIII, col. 116, edit. cit.

butus. Dolet Summus Pontifex, Episcopos in ista necessitate versari, et opportuna remedia in gravi hoc negotio ab Episcopis adhibenda præscribens, ait : « Eapropter vos, venerabiles Fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut primum omnium maximam cleri sæcularis, *in cujus subsidium clerus regularis vocatus fuit*, curam alacriter suscipiatis, susceptamque strenue urgere satagatis.»

Quæ cum ita sint, palam est, Episcopum non debere regulares sacerdotes ad sæcularium confessiones audiendas assumere, ubi clerus sæcularis his sacris muniis obeundis aptus et sufficiens est, quum id nullo quidem jure tunc præcipiatur.

Sed et illud hic observare juvat, Episcopum esse judicem, an clerus sæcularis suæ diœceseos idoneus sit et sufficiens ad Pœnitentiæ sacramentum administrandum. Unde neque clerus regularis jure conqueri poterit, si ad confessiones sæcularium excipiendas ab Ordinario non deputetur, neque clerus sæcularis jure mussitare poterit contra Episcopum, si ad sacrum istud munus obeundum regulares sacerdotes admittere velit.

VII.

His præmissis, quæri jam debet, quid de jure requiratur, ut approbatio ad excipiendas sæcularium confessiones regularibus ab Ordinario concessa censeatur?

Tridentina synodus statuit, Episcopi approbationem esse omnino necessariam. Præterea Summi Pontifices Innocentius X, constitutione *Cum sicut accepimus* (1), Clemens X, constitutione *Superna* (2), et Benedictus XIV, constitutione *Apostolica indulta* (3), definiverunt, regula-

(1) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. V, col. 457, edit. cit.
(2) *Oper. cit.* tom. VI, col. 305, edit. cit.
(3) Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. II, col. 79, edit. cit.

Digitized by Google

rem, in una diœcesi approbatum pro excipiendis confessionibus sæcularium, eas excipere non posse in alia diœcesi, in qua approbatus non sit, etiamsi pœnitens esset subditus illius Episcopi, a quo regularis approbationem obtinuit. En verba constitutionis Innocentii X, in qua, ut jam observavimus, referuntur varia responsa S. Congregationis speciatim a Summo Pontifice deputatæ ad resolvenda dubia tunc temporis inter Episcopum Angelopolitanum et Societatem Jesu exorta : *Utrum regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare sacramentum pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi diœcesani, etiamsi in aliena diœcesi approbatus sit?* Respondit S. Congregatio : *Regulares etiam S. J. in una diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas nequaquam posse in alia diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani.*

Quinimo hæc propositio « Regulares ordinum mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione, » qualificata et declarata fuit *falsa et saluti animarum perniciosa*, in litteris Apostolicis Alexandri VII, datis ad Episcopum Andegavensem; et « hanc qualificationem et declarationem a cunctis tenendam, sequendam et in praxi observandam Sanctitas Sua declaravit et mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos ac de hæresi suspectos impositis, contrariis quibuscumque non obstantibus (1). »

VIII.

Synodus Tridentina præterea decrevit : « Nullum, etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam

(1) Cfr. Cabassutius, *Juris canonici theoria et praxis*, lib. I, cap. 10, num. 9, edit. Lugdun., 1691.

sacerdotum, audire,... nisi ante parochiale beneficium aut ab Episcopis, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur,... et approbationem obtineat. »

Quicumque ergo sint, sive Prælati regulares, sive S. Theologiæ lectores aut doctores, omnes, si Episcopo videbitur, examen subire debent, antequam pro confessionibus sæcularium audiendis approbentur (1), ut S. Pius V, constitutione *Romani pontificis providentia* (2), declaravit his verbis : « Hac nostra constitutione perpetuo sancimus, decernimus et declaramus, decretum Concilii Tridentini de approbatione regularium, audiendis confessionibus sæcularium præpositorum, ab Episcopis facienda, observari debere etiam in omnibus regularibus quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiam si sint Lectores, aut in Theologia etiam de suorum superiorum licentia graduati vel promoti. »

S. Pio V omnino consonat Urbanus VIII, constitutione *Cum sicut accepimus* (3), « per quam amplissime rescidit, « ut refert Benedictus XIV, constitutione *Apostolicum* « *ministerium* (4), privilegium quodcumque alias regula- « ribus attributum, cujus prætextu sæcularium confes- « siones exciperent, priusquam examen sustinuerint et « consensum ab Ordinario diœcesano impetraverint. Ac « ne regularium familiæ, quæ nisi expresse nominentur se « minime comprehendi putant, ab eadem constitutione « immunes se jactarent, eas nominatim et singulas recen- « sendas optimum duxit. »

(1) Cfr. Barbosa, *De Officio et potestate Episcopi*, part. II, Allegat. 25, num. 45, edit. cit.

(2) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. II, col. 368, edit. cit.

(3) *Oper. cit.* tom. IV, col. 161.

(4) Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. VIII, col. 93.

IX.

Nihilo tamen minus Episcopo licitum est approbationem et jurisdictionem concedere regularibus sine prævio examine, dummodo aliunde noverit illos ad grave confessarii officium esse idoneos. Sed observat Benedictus XIV (1), confessario necessariam doctrinæ virtutisque præstantiam vix aut ne vix quidem dignosci posse, « nisi examen circa quæstiones Theologiæ moralis instituatur, quod non ita facile est. » Unde merito quidem efficitur, maximi hujus Pontificis sententiam esse, ut regulares non magis quam sæculares sacerdotes sine prævio examine ab Episcopis approbentur ad confessiones sæcularium excipiendas. Atque id ex eo etiam perspicuum est quod, cum esset Archiepiscopus Bononiensis, in modo laudatis Institutionibus edixerit : Pœnitentiæ sacramentum sæcularibus administrandi « facultatem omnino denegamus cuicumque sacerdoti regulari aut sæculari, nisi prius examine probatus a nobis fuerit (2). »

X.

Ubi Episcopus regulares ad confessionis munus obeundum sive per examen sive alias aptos judicaverit, non

(1) *Institutiones canonicæ*, Instit. 86, num. 9.

(2) Cum sapientissimi hujus Pontificis sententia parum quadrare videtur illiorum Ordinariorum agendi ratio, qui, dum sacerdotes *sæculares* universim, qui tamen in seminariis sub ipsorum Episcoporum oculis theologicas disciplinas didicerunt, in examen vocant, antequam jurisdictionem ipsis conferant, *Regularibus* autem, qui in sacris studiis perficiendis nulla quidem ratione Ordinarii curæ subjecti fuerunt, approbationem impertiantur ad solam superiorum regularium præsentationem.

ideo illud ipsis debet indefinite seu sine temporis circumscriptione deferre, sed semper potest eis jurisdictionem impertiri cum limitatione temporis; quo finito, nec licite nec valide confessiones deinceps excipere queant.

Id luculenter patet ex brevi Urbani VIII, dato ad Cardinalem De Sandoval in causa litigii quod exortum erat, ut tradit Cabassutius (1), inter hunc Cardinalem et religiosos illius diœcesanos. Summus Pontifex tum expresse statuit, finito limitatæ concessionis tempore, non posse a regularibus confessiones sæcularium audiri sine nova Ordinarii approbatione. Sed idem etiam liquet ex propositione, quam proscripsit Alexander VII : « In causa Andegavensis Episcopi, ait Cabassutius (2), et regularium tum Societatis Jesu tum aliorum ordinum, quæ tandem Romæ judicio Alexandri VII et Cardinalium dirempta est, examinata fuit ista regularium prædictorum propositio : *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Hanc propositionem idem Pontifex cum cœtu Cardinalium declarat 30 januarii an 1659, *falsam, temerariam, scandalosam et erroneam* (3). »

Neque tantum quoad tempus, sed quoad locum et personas etiam restringi ab Episcopo potest prædicta facultas, ut constitutione Innocentii XIII, a Benedicto XIII confirmata, sancitur his verbis : « Declaramus, sacerdotes tam sæculares quam regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse Pœnitentiæ sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, quocumque privilegio, etiam in

(1) *Oper. et loc. cit.* num. 13.
(2) Ibid.
(3) Cfr. Constitutio cit. Benedicti XIV, *Apostolicum ministerium.*

Digitized by Google

vim Bullæ, quæ appellatur *Cruciatæ Sanctæ*, competente, nullatenus suffragaturo (2). »

XI.

Præterea, ubi Episcopus facultatem excipiendi fidelium confessiones ad certum præfinitum tempus dederit, potest, elapso eo tempore, prorogationem jurisdictionis regularibus omnino denegare, vel eos iterum ad examen vocare et novum de eorum doctrina periculum facere, prout illud expedire judicaverit.

Hanc doctrinam iterum confirmat Benedictus XIV in laudata constitutione *Apostolicum ministerium*, ubi, agens de facultatibus confessiones sæcularium audiendi, *ad tempus* regularibus factis, ait : « Porro hujusmodi facultates ad præstitutum tempus collatas post elapsum temporis intervallum jus competit Ordinario vel abrogandi, vel, eas renovando, sacerdotem ad novum examen compellendi. » Et in Institutione ante memorata testatur, scriptores, etiam ex regularibus, unanimes idem asserere.

XII.

Si vero post prævium examen Episcopus hanc facultatem *simpliciter et sine ulla temporis limitatione* concesserit regularibus, non potest eam ita approbatis adimere aut suspendere, nisi supervenerit aliqua causa, et quidem ad ipsam sacramentalem confessionem pertinens, quemadmodum patet ex supra citata Clementis X constitutione *Superna*, ubi declarat, « regulares ad ejusmodi

(1) Cfr. Benedictus XIV, *Institutiones canonicæ*, loc. cit.

(sæcularium) confessiones audiendas prævio examine simpliciter et absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus vicario aut ab antecessoribus Episcopis, approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab iisdem confessionibus suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. »

XIII.

Ut autem huic Clementinæ constitutioni locus sit, requiritur inprimis ut regulares approbati sint *prævio examine;* alioquin ad arbitrium Episcopi suspendi et in examen vocari possunt. Testatur Novarrus (1) ita declaratum esse a S. Congregatione Episcoporum et Regularium in una VERCELLEN., 31 julii an. 1615.

Præterea necesse est, ut approbati fuerint *simpliciter*, id est, sine limitatione quoad personas, et ut nulla circumscriptio temporis aut loci in approbatione sit adjecta. Hujusmodi temporis circumscriptio censetur adjecta, si Episcopus facultatem dederit *ad arbitrium et beneplacitum suum* duraturam; nam clausula hæc continet limitationem temporis præfiniendi ad beneplacitum approbantis (2). Refert Barbosa, a S. Congregatione Episcoporum et Regularium quæsitum fuisse, *An Ordinarii facultatem audiendarum confessionum, regularibus* AD BENEPLACITUM *ab ipsis concessam, ad libitum revocare possint?* Et S. Congregationem respondisse in una PAPIEN. 19 martii, 1619, *concessionem ad beneplacitum factam quandocumque revocari posse* (3).

(1) *Lucerna Regularium*, verb. *Confessarius*, num. 16. Cfr. VENTRIGLIA, *Praxis notabilium rerum*, Annotatione 48, num. 35, edit. Neapoli, 1691.

(2) DIANA, *S. J. Tractatus primus*, *De dubiis Regularium*, Resolut. 78, num. 4. *Oper.* tom. VII, edit. Lugduni, 1680.

(3) BARBOSA, *Jus ecclesiasticum universum*, lib. I, cap. 43, num. 208, edit. Lugduni, 1691.

XIV.

Sed et Episcopus, qui *simpliciter et indefinite* concessit facultatem sæcularium confessiones audiendi, potest eam revocare ex causa rationabili *ad ipsam confessionem pertinente.* Etenim Clemens X, in citata constitutione, § 6, statuit : « si regulares cum scandalo aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod *rationabili Episcopi judicio* videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua ministri sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus regulares a semetipso approbatos suspendere aut repellere a confessionibus audiendis. »

Episcopus, qui regularem quempiam ex ejusmodi causa suspendit, minime debet rationem reddere regulari aut Prælato illius cujus jurisdictionem revocavit, sed tantum debet eam Summo Pontifici communicare, si hic eam peteret. Quod iterum ex eadem constitutione firmatur, quum dicat Pontifex, « eam causam non teneri Episcopum ipsis regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. » Quinimo sæpe expedit, ut Ordinarius causam factæ revocationis alii nemini aperiat, tum ad vitandas contentiones inutiles, tum ad præpediendas diffamationes sive pœnitentium sive ipsiusmet confessoris.

XV.

Quum igitur ex dictis pateat, Episcopum posse regularem, etiam simpliciter et indefinite a se ad confessiones

sæcularium approbatum, suspendere aut revocare a jurisdictione concessa ob indicatas aut similes causas, et quum Episcopus non debeat causas istas regularibus aperire; hinc efficitur, statim ac in regularis confessarii notitiam venerit suspensio jurisdictionis aut revocatio facta ab Episcopo, eam jurisdictionem ita cessare, ut regularis ille nulla ratione amplius possit sæcularium confessiones excipere, donec vel ab eodem Episcopo vel ab ejus successore vel a Sede Apostolica in pristinam jurisdictionem restituatur. Ratio est, quod in tali casu, sive justam sive non justam habuerit causam Episcopus, semper tamen verum erit, confessario regulari tunc deesse illa, quam synodus Tridentina necessariam dixit, Ordinarii licentia et approbatio.

Hæc ita se habere, etiam plane confirmatur ex contrario sensu sequentis propositionis ab Alexandro VII die 24 septembris 1665 proscriptæ : « Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato (1). »

XVI.

Probe autem animadvertendum est, Clementinam constitutionem tantum agere de casu quo idem Episcopus, qui regulares simpliciter et indefinite post prævium examen eos denuo approbasset, examinare aut ab obtenta jurisdictione suspendere vellet; nam Episcopus, qui eidem succedit, potest libere revocare facultates hac in re a suo prædecessore datas, et confessores regulares, qui ad sæcularium confessiones audiendas quomodocumque approbati sint, ad examen vocare. Illud enim ex verbis constitutionis allatæ abunde probatur, et ex decreto

(1) Cfr. Giraldi, *Expositio juris Pontificii*, part. II, tom. III, sect. 105, col. 974, edit. Romæ, 1769. Cfr. etiam Constitutio Benedicti XIV, *Ad militantis Ecclesiæ*.

Digitized by Google

S. Congregationis Interpretum concilii Tridentini, quod refert Barbosa (1), aperte confirmatur.

XVII.

Attamen Summorum Pontificum decretis cautum est, ut Episcopis fas non sit, simul omnibus ejusdem conventus confessariis sæcularium facultates audiendi confessiones adimere; ut declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, die 20 novembris, an. 1615 (2), et confirmavit Clemens X, constitutione *Superna*, his verbis : « Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse. »

Una fortassis exceptio hic adjici debet, nimirum, si ageretur de regionibus longe ab Urbe dissitis; in constitutionem enim Innocentii X, *Cum sicut accepimus*, refertur, peculiari Cardinalium congregationi propositum fuisse dubium : *An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum monasterium vel collegium ab audiendis confessionibus suspendere?* Respondit autem S. Congregatio : « Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii vel collegii confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, etiam inconsulta S. Congregatioue Episcoporum et Regularium negotiis præposita, cum decretum ab ea editum sub die 20 novembris 1615 ex intentionis defectu et convenientia morali non extendatur ad regiones illas tam longe ab Urbe dissitas; verum ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo S. Congregatio illorum conscientias graviter voluit oneratas. »

(1) *De officio et potestate Episcopi*, part. II, Allegat. 25, num. 48.
(2) Cfr. Barbosa, *loc. cit.* num. 50, ubi integrum decretum exhibet.

XVIII.

Regulares ab Ordinario *simpliciter* approbati, possunt tum tempore paschali tum aliis anni temporibus fidelium, etiam infirmorum, confessiones excipere; neque ad hoc indigent licentia parochi, intra cujus parochiæ fines aut cujus parochianorum confessiones audire volunt. Jam dudum enim extra controversiam positum est, Christi fideles annuæ confessionis præcepto satisfacere peccata sua confitendo sacerdoti cuique *approbato* sive sæculari sive regulari; atqui non parochus sed Ordinarius approbationem et jurisdictionem impertitur. Idem etiam manifesto evincitur ex Clementis V constitutione *Superna*, « Eos, inquit, qui dictis religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit : *Omnis utriusque sexus,* quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. » Et quoad fideles ægrotantes statuit : « Regulares simpliciter ab Ordinariis approbatos posse in diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere, et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi confessiones præcipi; sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam (1). »

XIX.

At quum Ordinarius non debeat regularibus simpliciter et sine limitatione approbationem et jurisdictionem concedere, sed eas limitationes possit adjicere quas in

(1) Cfr. Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. XI, cap. 14, num. 1 et seq.

Domino judicaverit expedire, hinc fit ut, si in approbatione ab Episcopo data quædam adjecta esset limitatio, e. g. ut non nisi præmonito parocho confessiones ægrotantium audire possent, ea esset ab ipsis servanda (1).

Neque limitationi hujus generis obstat prælaudata constitutio Clementis X, quæ agit de regularibus dumtaxat, qui jam *simpliciter* approbati sunt, non autem de iis qui cum expressa hujusmodi limitatione approbationem obtinuerint.

Atqui hanc aut similem clausulam opportune quidem aliquando Ordinarii facultatibus adjicerent, quas regularibus, præsertim in majoribus oppidis residentibus, concedunt ad audiendas sæcularium etiam infirmorum confessiones. Hac enim ratione facilius occurreretur incommodis, quin etiam scandalis, quæ ex eo subinde oriuntur quod regulares, rogati ad excipiendam confessionem personæ ægrotantis, in domo suspecta aut lupanari quidem commorantis, nihil mali aut periculi suspicantes, illuc se conferunt, et non expetito consilio parochi, neglectis regulis pro audienda confessione peccatoris publici præscriptis, Pœnitentiæ sacramentum ipsi administrant. Unde fit ut, si deinde parochum de excepta sacramentali confessione certiorem reddant, is Viaticum et Extremam Unctionem negare debeat ejusmodi pœnitenti, quippe qui peccator publicus in foro externo nondum Ecclesiæ reconciliatus habetur et haberi debet.

XX.

Quæ hactenus disputavimus, hæc omnia spectant ad approbationem et jurisdictionem, quam regulares ab Ordinario loci, in quo degunt, petere et obtinere debent, ut sæcularium confessiones excipere legitime possint.

(1) Cfr. *Thesaur. Resolut. S. Congr. Conc. Trid.*, tom. III, col. 140, Ratisbonen. die 24 martii 1725.

Superest ut in eamdem rem et hoc animadvertamus, scilicet regulares, qui approbati sunt ad sacramentum Pœnitentiæ administrandum, non hoc ipso facultatem habere a casibus Ordinario reservatis absolvendi; sed insuper necesse esse, ut peculiarem licentiam in eum finem ab Ordinario recipiant. Sæpius quidem olim excitata fuit controversia, an regulares speciali indigeant Ordinarii facultate ad absolvendum Christi fideles a peccatis Episcopo loci reservatis? Verum Sancta Sedes constanter definivit, specialem facultatem Episcopi omnino necessariam esse, et regulares privilegiis suis quibuscumque ea in re non juvari (1).

Satis erit unum hic referre fragmentum ex Clementis X constitutione *Superna*, qua decernit et declarat, « Ex facultatibus, per *Mare magnum* aliave privilegia Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti aut Societatis, etiam Jesu, concessis, factum eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis; et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post sacrum concilium Tridentinum obtinuerint, nequaquam revixisse privilegia, prius ab eodem concilio aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quæ habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem regularem confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. » Itaque vi privilegiorum regularibus quibuscumque fas non est Christi fideles absolvere a casibus Episcopo loci reservatis. Sed et luculenter idem con-

(1) Operæ pretium est de hac controversia consulere aureum opus Benedicti XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. V, cap. 5, num. 6 et seq., ubi succinctam tradit hujus controversiæ historiam.

Digitized by Google

firmatur ex propositione, quam proscripsit Alexander VII die 24 septembris 1665 : *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate* (1).

XXI.

Tandem observare juvat, regularibus, ad sæcularium confessiones excipiendas ab Ordinario approbatis, non licere in domibus laicorum Confessiones audire, nisi in casibus a jure expressis. Neque refert, an in iis domibus oratorium privatum necne sit legitime constitutum. Aperte id confirmat Benedictus XIV, constitutione *Magno cum animi nostri dolore* (2), in qua agit *de tollendis abusibus ab oratoriis privatis, quæ sunt in domibus laicorum*. Refert ibi § XX, cum edita esset Clementis X constitutio *Superna*, confessarios aliquos regulares in medium protulisse facultatem audiendi *ubique* confessiones fidelium, et hanc facultatem sibi ea ratione asseruisse, quod in Clementis X constitutione nulla *loci* limitatio facta esset. Verum idem Pontifex Clemens X tunc declaravit, « nullam facultatem in prædicta constitutione sua fuisse tributam regularibus audiendi confessiones sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem regularibus cujusvis ordinis, etc., sacramentum Pœnitentiæ administrare iu domibus privatis extra casus a jure permissos. »

Quare, si infirmos, de quibus diximus, aliasque graves causas, ab Ordinario diligenter cognoscendas et approbandas, excipias, confessarii regulares non magis ac sæculares Pœnitentiæ sacramentum in laicorum ædibus, etiamsi in iis sint oratoria privata, ministrare possunt (1).

(1) Cfr. Giraldi, *Expositio juris Pontificii*, part. II, tom. III, sect. 105, edit. cit.

(2) Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. VII, col. 55, edit. cit.

(3) Cfr. Gattico, *De oratoriis domesticis*, cap. 29, num. 1.

§ IV.

De regularium jure Dei verbum prædicandi.

I. *Regulares Dei verbum legitime prædicare non possunt nisi ex peculiari facultate ecclesiasticæ auctoritatis, ut probatur ex concilio Tridentino,*

II. *Et Summorum Pontificum decretis.*

III. *Regulares ab Ordinario loci admitti nequeunt ad verbum Dei prædicandum, nisi jam a suo superiore legitimo obtinuerint in eam rem licentiam;*

IV. *Ipsis tamen fas est in sui ordinis ecclesia Dei verbum prædicare, dummodo petiverint, etiansi non obtinuerint, licentiam a loci Ordinario.*

V. *Dicitur quid juris sit, ubi Ordinarius regulari benedictionem petenti eam non tantum deneget, verum etiam expresse prohibeat, ne ipse in sui ordinis ecclesia sacram concionem habeat. Refertur illorum opinio, qui existimant ex decretis Tridentinis dicendum esse, regularem in hujusmodi casu nihilominus licite posse ibi concionari.*

VI. *Refellitur ista opinio; et regula traditur pro interpretatione decretorum concilii Tridentini.*

VII. *Unde conficitur, in Tridentinis decretis nullam esse antinomiam.*

VIII. *Ex Clementis X constitutione thesis nostra clarissime probatur.*

IX. *Ut regulares in ecclesiis, quæ sui ordinis non sunt, Dei verbum prædicare queant, ipsis omnino opus est* licentia *Ordinarii.*

X. *Quæritur, an Ordinarius examini subjicere possit regularem licentiam petentem Dei verbum prædicandi in ecclesia, quæ sui ordinis non est? Exponitur sententia illorum qui id negant.*

Digitized by Google

XI. *Omnino tamen verum est, Ordinario in eo casu jus esse, regularem de doctrina examinandi;*

XII. *Et si ipsum non repererit idoneum, debet ipsi prohibere, ne prædicet.*

Traduntur aliæ causæ, ob quas Ordinarius prædicationem verbi Dei regularibus legitime prohibere possit,

XIII. *Sive agatur de prædicatione in suorum ordinum ecclesiis, sive in alienis.*

Si autem regularis semel admissus est ad prædicandum, causa, ob quam suspendi possit, debet ipsam prædicationem concernere.

XIV. *Dicitur quænam sint causæ quæ prædicationem concernant.*

XV. *Ordinarius non potest regularem pro arbitrio suo ab officio prædicationis suspendere.*

XVI. *Quæ pœnæ statutæ sunt in regulares, qui Summorum Pontificum aut concilii Tridentini decreta hac de re violarent?*

XVII. *Quæ est Ordinariorum potestas ad compellendos regulares, ut in suis ecclesiis Dei verbum populo prædicent?*

I.

Ex principiis cap. I, § 3, positis, ubi agebamus de regularium jure munera sacra peragendi, facile conficitur, regularibus non competere jus prædicandi Dei verbum, nisi vel peculiare privilegium a Summo Pontifice vel potestatem specialem ab Episcopo diœcesano ad hoc faciendum acceperint. Ibi enim aperte probavimus, nemini jus esse in diœcesi aliqua sacra munera persolvendi, nisi a legitima auctoritate, quæ Episcopo superior sit, vel ab ipso Episcopo facultatem aut missionem ad ea exercenda obtinuerit, atque hanc facultatem missionemve regularibus non dari hoc ipso solum quod religiosam vitam fuerint professi : unde plane sequitur, regulares sua auctoritate Dei verbum annuntiare legitime non posse, nisi

Digitized by Google

potestatem vel a Summo Pontifice vel ab Episcopo diœcesano receperint. Quid enim? Prædicatio verbi Dei est actus spiritualis jurisdictionis; nam *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*

Quænam hac in re fuerit Ecclesiæ disciplina, quæve privilegia Romani Pontifices, præsertim sæculo XIV, regularibus ad Dei verbum prædicandum concesserint, paucis indicavimus cap. I, § III, num. V, ubi monebamus, regulares propter peculiaria temporum adjuncta potuisse aliquando et certis in casibus ex privilegio Pontificio Dei verbum prædicare sine Ordinarii localis licentia. At quum hoc loco de jure hodierno disseramus, attendi præ cæteris debent concilii Tridentini decreta et Summorum Pontificum constitutiones, quas post concilium istud de hac eadem re ediderunt.

Tridentina synodus de regularibus prædicatoribus hæc constituit (1) : « Regulares vero cujuscumque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint : cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint, ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant. »

« Si vero, quod absit, prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat; etiamsi prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet, quo casu Episcopus auctoritate Apostolica et tamquam Sedis Apostolicæ de-

(1) Sess. 5, cap. 2, *de Reform.*

Digitized by Google

legatus procedat. » Alio loco idem concilium statuit (1) : « Nullus autem sæcularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. »

II.

Atque hæc Tridentinæ synodi decretà ita explicavit Gregorius XV, constitutione *Inscrutabili Dei providentia* (2), ut Episcopi censuris aliisque pœnis ecclesiasticis coërcere possint illos regulares, qui præscripta ista ad amussim non servaverint. Ipsa ejus verba infra referemus, num. XVII.

Porro, quum eæ, quæ deinceps diversis temporibus variæ dubitationes et controversiæ de hoc regularium jure prædicandi Dei verbum exortæ fuerant, Summorum Pontificum constitutionibus et declarationibus definitæ essent, Clemens X, laudata constitutione *Superna* (3), definitiones istas in unum collectas, novis Apostolicis litteris muniendas duxit et roborandas, ut magis magisque dissensionum tollerentur semina, et, ut loquitur Pontifex, « in posterum firmior in agro Dominico pax Christi floreret. »

Itaque generali constitutione decrevit et declaravit : « Regulares, qui in ecclesiis sui ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo diœcesano benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem ecclesiis licere regularibus prædicare, eosque contravenientes ab illo tamquam Sedis Apostolicæ delegato censuris aliisque pœnis ecclesiasticis in vim constitutionis

(1) Sess. 24, cap. 4, *de Reform.*
(2) *Magnum Bullarium Romanum*, tom. III, col. 452, edit cit.
(3) Ibid., tom. VI, col. 305, edit. cit.

fel. record. Gregorii XV, prædecessoris nostri, incipientis, *Inscrutabili Dei providentia*, coerceri et puniri posse; Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debere; et hujusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si in quibuscumque oratoriis sui ordinis sermonem coram populo, vel in ecclesiis aut ad crates monasteriorum sancti monialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis, et nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum regularibus, in ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemoriale hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere regularibus, qui in ecclesiis suorum ordinum prædicent. »

III.

His decretis universa quidem contineri videtur disciplina, qua regulares in habendis concionibus sacris regendi sunt. Atque inprimis ex iisdem palam est, regulares in sacro munere prædicationis verbi Dei ab Ordinariis locorum pendere, sed diversis modis secundum diversa rerum adjuncta.

Antequam vero strictius definiamus, quid jura de hac regularium dependentia constituerint, notari debet Tridentinam synodum confirmasse legem, quam in Lateranensi concilio V jam edixerat Leo X his verbis : « Sacro approbante concilio statuimus et ordinamus, ut nullus

tam clericus sæcularis quam cujuscumque, etiam Mendicantium, ordinis regularis, aut quivis alius ad quem facultas prædicandi tam de jure quam de consuetudine vel privilegio aut aliàs pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum respective diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius superioris oneramus), ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia et vitæ exemplaritate ad illud aptus et idoneus reperiatur; et hic, quocumque postea prædicaturus accesserit, de hujusmodi examine et idoneitate sua per litteras authenticas seu aliàs sui examinatoris approbatorisque Episcopis et aliis locorum Ordinariis fidem legitime faciat (1). »

Quod hic constituit Leo X, id conceptis verbis confirmavit Tridentina synodus. Unde dicendum est, regulares omnes, antequam munus prædicationis verbi Dei sive in suis sive in alienis ecclesiis obire queant, a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinari debere et approbari.

Si approbationem seu licentiam istam obtinuerint, cum instrumento vel fide hujusmodi àpprobationis coram Ordinario personaliter se præsentare debent. Sin vero superiorum suorum licentiam non habeant, ad sacras conciones habendas ab Ordinario admitti non possunt, ut Tridentina synodus perspicue indicat et ratio suadet. Etenim quum regulares ab Ordinarii potestate exempti sint in iis quæ ad observantiam regularem pertinent, et suis Prælatis immediate et omnino sint subjecti, regularis disciplina servari prorsus non posset, si Ordinarius hujus generis officium regularibus contra eorumdem Prælati voluntatem posset committere.

(1) Harduin. *Acta Conciliorum*, tom. IX, col. 1808.

Digitized by Google

IV.

Ubi vero regularis a sui ordinis superiore approbationem et licentiam jam recepit, eamque Ordinario exhibuit, ordinarii auctoritas accedere debet, antequam ille prædictum munus sacrum exercere possit. Qualis autem Ordinarii auctoritas ad id necessaria sit, ex eo pendet, utrum regularis munus istud in ecclesia sui ordinis obire velit, an contra in ecclesia quæ sui ordinis non est Dei verbum prædicare cupiat.

Quando agitur de sacro hoc munere peragendo in sui ordinis ecclesia, regularis debet ab Ordinario loci benedictionem petere, et hic eam dare debet, nisi ex rationabili causa eam denegandam esse existimet. Si autem, non obstante Prælati regularis approbatione, Ordinarius dubitet, an orator ad sacram concionem habendam satis idoneus sit, atque Ordinarius ideo conscientiam suam onerare nolit ipsi impertiendo benedictionem, quæ aliquam approbationem et consensum significet, tunc regularis nihilominus cum sola Prælati sive superioris sui licentia poterit in sui ordinis ecclesia Dei verbum populo prædicare, quemadmodum ex concilii Tridentini verbis, sess. 5, cap. 2, *De Reform.* perspicuum est; quia Patres ibi nihil aliud requirunt, quam ut regularis, accepta sui superioris licentia, Episcopi benedictionem tantum petat; nec refert, utrum eam obtineat necne. Quæ dispositio nulla posteriore constitutione fuit immutata aut correcta.

V.

Attamen, quando Ordinarius non tantum denegat petitam benedictionem, sed etiam expresse prohibet, ne re-

Digitized by Google

gularis in sui ordinis ecclesia Dei verbum prædicet, hic omnino Ordinario obedire debet et prorsus ab eo munere peragendo abstinere.

Magno quidem animorum æstu a Canonistis agitata fuit quæstio, an regularis, obtenta jam sui Prælati licentia, in ecclesia ordinis sui concionari posset, si petitam ab Ordinario benedictionem non tantum non obtinuisset, sed Ordinarius etiam contradixisset, sive prohibuisset ne concionaretur.

Plurimi quidem fuerunt Doctores qui opinabantur, in hujusmodi casu regularem posse in sui ordinis ecclesia nihilominus concionari; idque ideo præsertim contendebant, ne aliàs admittenda esset antinomia seu contradictio in Tridentini concilii decretis. Etenim, aiunt ipsi, sess. 5, cap. 2, *De reform.*, Patres hujus synodi nihil aliud requirunt, nisi ut regularis, in sui ordinis ecclesia concionaturus, post obtentam a suo superiore licentiam petat ab Ordinario benedictionem. Deinde, eodem capite statuunt de iis qui Dei verbum prædicare volunt in ecclesiis quæ sui ordinis non sunt, ac pro his requirunt, ut præter benedictionem licentiam etiam ab Ordinario obtineant. Hæc, aiunt, tota est in hanc rem concilii Tridentini dispositio, quæ a Gregorio XV, constitutione ***Inscrutabili Dei providentia***, immutata non fuit. Illud porro, quod sess. 24, cap. 4, *De reform.*, constitutum est his verbis : « Nullus autem sæcularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat, » ita prorsus, ex ipsorum quidem sententia, explicari debet, ut, quamvis Episcopus contradicat, regularis nihilominus licite in sui ordinis ecclesia Dei verbum prædicare possit. Quem in finem alii aliis subtiliorem excogitarunt argumentandi rationem.

VI.

Nos autem opinamur, jam a concilio Tridentino fuisse

constitutum, ut, si Episcopus regulari, in sui ordinis ecclesia prædicare volenti, et benedictionem petenti, eam non tantum deneget, verum etiam prohibeat, ne concionetur, eum regularem tunc sacram concionem legitime habere non posse; idque ideo opinamur, quod verba Concilii, sess. 24, cap. 4, hoc aperte dicere videntur. Quid enim significant hæc verba : « Nullus.... regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat? » Hoc utique, si Episcopus contradicat, regulari non licere in ecclesia sui ordinis prædicare. Ultro quidem fatemur, hoc ipsum non fuisse ab eadem synodo statutum, sess. 5, cap. 2; sed an ex eo, quod Patres illud non constituerint sessione quinta, ipsis non licuit id in alia sessione constituere? Quod ut planum fiat, hoc unum animadvertisse juvat, concilii Tridentini Patres de eadem re aliquando diversis locis egisse; quapropter, ut vera et tota ea de re Concilii sententia reperiri possit, loca ista conferri et inter se componi debent.

Ideo autem diversis locis de eadem re subinde egerunt hujus concilii Patres, quia tempore et experientia erant edocti, nonnullis disciplinæ capitibus, quæ prioribus sessionibus jam fuerant constituta, quædam esse addenda, sive, ut Patres ipsi hac eadem sess. 24, eodemque cap. 4, *de Reform.* fatentur, *aptius præsentium temporum usui accommodanda.*

Nam, ut exempla quædam proferamus, negotium residentiæ Episcoporum urgere cœpit idem Concilium, sess. 6, cap. 1, *de Reform.;* quum vero animadverteret, ea, quæ hic utiliter sanciverat, in sensum a S. Synodi mente alienum trahi posse, eamdem rem amplius declaravit sess. 23, cap. 1, *de Reform.* Itidem de Episcoporum munere et virtutibus multa edixerat, sess. 13, cap. 1, *de Reform.;* nihilominus ad idem redit argumentum, sess. 23, cap. 1, *de Reform.*, et sess. 25, cap. 1, *de Reform.*

De vita et honestate clericorum in quocumque tandem ordine constitutorum egerat sess. 14, *Decret. de Reform.*, in prooemio; sed eamdem rem iterum ac vehementius

ursit sess. 22, cap. 1, *de Reform.* Et quod ad rem nostram attinet, multa quidem de prædicationis officio constituerat sess. 5, cap. 2; attamen ad idem redit argumentum, novisque illud observationibus illustrat sess. 24, cap. 4 et cap. 7. In his omnibus, aliisque quæ adduci possent exemplis, ea quæ in prioribus decretis cœpta erant, posterioribus aucta, amplificata aut etiam restricta fuerunt (1). Hinc si quis in eo, quod in uno Tridentini loco dicitur, hæreret, et ea, quæ de eadem re aliis in locis dicuntur, minime consideraret, de disciplina a concilio Tridentino constituta aut firmata imperfectam aut mancam, et aliquando etiam veritati contrariam notionem sibi formaret. Convenit igitur, ut is, qui disciplinam ab hac S. Synodo constitutam perspectam habere velit, mentem ad diversa loca simul advertat, ut dum his, quæ in uno loco de re quapiam dicuntur, animum intendit, quæ in alio dicta fuerant aut dicenda erant loco, ipsum non effugiant.

Quod autem attinet ad causam, propter quam ea quæ ad unam eamdemque rem pertinent in varios et longe nonnumquam ratione temporum dissitis decretis a Tridentina synodo fuerint relata, hujus rei ratio quidem præcipua fortasse fuit, quod res, eodem quo proponebantur ordine, a patribus definiebantur; quibus non tam ordinis debuit esse cura, quam ut nihil illorum, quæ ad corrigendum et emendandum quocumque tandem ordine proponebantur, sine correctione et emendatione prætermitterent.

Et nihil mirum, subinde res aliquas postea fuisse correctioni aut emendationi propositas, de quibus in prioribus sessionibus jam actum fuerat; nam celebratio œcumenicæ hujus synodi per undeviginti fere annos prorogata fuit; unde fieri potuit, ut Patres vel jam experti essent, ea, quæ in prioribus sessionibus erant statuta et publi-

(1) Cfr. Ponsius, *Jus canonicum juxta nativam ejus faciem*, tom. II, cap. 5, edit. Fulginiæ, 1794.

cata, non penitus sufficere ad rem disciplinarem bene ordinandam, vel præviderent, ea, quæ jam erant præscripta, certis interpretationibus forsa esse eludenda.

VII.

Hæc si probe considerantur, nemo mirabitur, Tridentinam synodum de munere, etiam regularium, Dei verbum prædicandi diversis locis egisse, et in sess. 24 aliquid addidisse iis, quæ in sess. 5 jam de eadem re fuerant statuta. Tantum enim fuit inter utramque sessionem intervallum, ut Patres, qui vigesimæ quartæ sessioni interfuerant, forsitan experientia jam edoceri potuerint, decretum sessionis quintæ non posse avertere omnia incommoda, quæ ex regularium prædicatione in sui ordinis ecclesiis nasci possent. Notandum tamen est, etiamsi iidem venerabiles Patres de ea re non essent experientia docti, nihil tamen impedire potuisse, quominus in posteriore quadam sessione prioris dispositioni aliquid *ad cautelam* adderent.

Atque ex his palam fit, nostro quidem judicio, prædicta duo Tridentini concilii decreta apte conciliari posse, nec ullam antinomiam sive contradictionem in iis contineri. Quam ob rem nulla ratio est ita torquendi verba sess. 24, cap. 4, ut nihil amplius dicant, quam ea quæ sess. 5, cap. 2, referuntur.

VIII.

Verumtamen, etsi ipsa meridiana luce clarius esset, Tridentinæ synodi mentem fuisse, regularibus potestatem faciendi Dei verbum in sui ordinis ecclesiis populo prædicandi etiam tum, cum Ordinarius id ipsis expresse pro-

Digitized by Google

hibuisset, nihilo minus omnino dicendum esset, ipsos hodie licentia ista non amplius legitime uti posse. Quid enim? Summi Pontifices, concilio Tridentino ætate posteriores, suis constitutionibus id apertissime declararunt.

Hoc loco quidem non repetemus verba Gregorii XV, ex constitutione *Inscrutabili Dei providentia*, quandoquidem eadem sunt, quibus usa est Tridentina synodus; unde, quemadmodum alicui subobscura forsitan adhuc videri possent hujus synodi verba, ita etiam non sat perspicua ipsi viderentur illa, quibus Gregorius XV in sua constitutione usus est.

Sed operæ pretium est, hoc loco transcribere Clementis X verba, quæ jam num. II, hujus § referebamus : « Regulares, qui in ecclesiis sui ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo diœcesano benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. *Quod si Episcopus benedictionem, nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem ecclesiis licere regularibus prædicare.* »

Hæc tam clara atque perspicua sunt, ut interpretatione redderentur obscura. Qua de causa etiam animadverti debet, ut auctoritas illorum Pragmaticorum, qui contrariam nostræ propugnarunt sententiam, sit salva, plerosque ex ipsis vel ante editam Clementis X constitutionem de hac re scripsisse, vel eam ad ipsorum notitiam nondum pervenisse, quum opinionem suam de hac quæstione patefacerent.

IX.

Ex eadem Clementis X constitutione patet, regulares ab Ordinario loci petere etiam debere benedictionem, quando in sanctimonialium sui ordinis ecclesiis verbum Dei prædicare volunt. Neque refert, utrum sæculares homines in ecclesia intersint, an vero solis sanctimonialibus Dei verbum annuntiare sibi proponant.

Nullum autem regularem sacras conciones habere posse in ecclesiis, quæ sui ordinis non sunt, nisi præter licentiam suorum superiorum etiam Episcopi licentiam impetraverint, conceptis verbis a Tridentino concilio definitum est sess. 5, cap. 2, *de Reform.* Nec etiam ea de re umquam serio controversia mota fuit.

X.

At multi quidem Doctores in utramque partem disputarunt, an Ordinarius, antequam regulari licentiam prædicandi in ecclesia, quæ sui ordinis non est, concedat, ipsum examini subjicere possit?

Doctores, qui opinantur Ordinario fas non esse hujusmodi regulares examinare, his fere rationibus sententiam suam propugnant : 1° Leonis X constitutione *Supernæ Majestatis*, edita in concilio Lateranensi V, decernitur, ut nullus clericus sive sæcularis sive regularis, ad quem quomodocumque pertinet facultas concionandi, « ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius *per suum superiorem respective* diligenter examinatus, etc. » Unde, aiunt, ex hac constitutione examen spectat ad suos cujuscumque concionatoris *respective* superiores, atque adeo regularium concionatorum examen pertinet ad superiores regulares, non autem ad Episcopum.

2° Concilium Tridentinum, sess. 5, cap. 2, *de Reform.* præscribit formam admittendi regulares ad concionandum, quæ forma in eo consistit, ut a suis superioribus examinentur de doctrina, vita et moribus, et ut cum ipsorum approbatione et licentia se personaliter præsentent Episcopis, et ab iis benedictionem petant, si in sui ordinis ecclesiis, et licentiam etiam, si in alienis ecclesiis velint concionari. Unde, cum tam a Leone X quam a concilio Tridentino superioribus regularibus præscribatur examen regularium concionatorum, Episcopi huic muneri se

ingerere nequeunt; hoc enim faciendo sibi jurisdictionem usurparent in regulares exemptos, illorum exemptionem violarent, et superioribus regularibus inferrent injuriam; usurparent enim jus superiorum regularium, et in ipsorum subditos exercerent jurisdictionem quam non habent. Porro, si Episcopus regularem concionatorem examini subjiceret, id in detrimentum cederet bonæ famæ regularium; nam hoc ipso examine declararet Episcopus, se fidem non habere, a superioribus regularibus idoneos concionatores sibi præsentari, vel saltem declararet, superiores ipsos non esse idoneos ad concionatores examinandos. Præterea Episcopus injuriam faceret ipsi Apostolicæ Sedi, scilicet mitteret manus in eos qui S. Sedi immediate subjecti sunt, usurpando sibi jus in ipsos, quod non haberet. Quin etiam facto ipso declararet, Sedem Apostolicam non satis providisse examini regularium concionatorum, quando istud superioribus regularibus commisit.

Ex quibus efficitur, regulares, quamvis concionaturi essent in ecclesiis, quæ non sunt sui ordinis, non tamen examinari posse ab Episcopis; tum quia Leo X constitutione sua hoc examen superioribus regularibus absolute committit; tum quia Tridentina synodus Episcopis solummodo concedit, ut regularibus concionaturis in ecclesiis, quæ sui ordinis non sunt, benedictionem et licentiam dare, non tamen examinare possint. Ita fere ad verbum Pasqualigi (1).

XI.

At non est, cur inquiramus, an Pasqualigius et alii, qui cum ipso eamdem sententiam defenderunt, verum Tridentini concilii sensum non plus, quam par esset, res-

(1) *Observationes in controversias inter Episcopos et Regulares* Laurenti de Franchis, num. 377.

trinxerint. Neque etiam nostra interest investigare, an re ipsa tam gravem injuriam et regularibus et Apostolicæ Sedi inferret Episcopus ille, qui tum verbis et mente concilii, tum nonnullorum Doctorum interpretatione nixus, *regularem*, qui licentiam peteret prædicandi in alia, quam sui ordinis ecclesia, de doctrina examinaret. Hoc unum nobis sufficit, de tota hac re quæstionem hodie saltem moveri amplius non posse; siquidem Clemens X conceptis verbis ait : « Posse autem Episcopum, licentiam concessurum regularibus in ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemoriale hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit. »

Constat igitur, Ordinarium jure suo posse regulares, qui sacras conciones habere voluerint in aliis, quam sui ordinis, ecclesiis de doctrina examinare.

XII.

Si Ordinarius regularem non idoneum repererit, ipsi interdicere debet, ne officio prædicationis fungatur. Porro, non tantum ubi judicat regularem non satis esse doctum, verum etiam ubi censet ex alio capite non expedire ut ipse sacram habeat concionem, ei prohibere potest ne concionetur.

Causæ, ob quas Ordinarius regulari prohibere possit ne Dei verbum prædicet, multiplices quidem sunt. Jam enim in concilio Lateranensi V tres ejusmodi causæ referuntur : prima, si prædicet miracula falsa aut incerta; secunda, si evulget prophetias in Sacra Scriptura non contentas; tertia, si in concionibus detrahat Episcopis aut aliis Prælatis. Tres item alias causas assignat Tridentina

synodus (1): Prima est, si concionator doceat propositiones erroneas; secunda, si propositiones scandalosas disseminet; tertia, si hæreses prædicet.

Sed præter has in jure expressas sunt aliæ multæ causæ; nam Clemens X, citata constitutione *Superna*, generatim quamlibet causam *justam et rationabilem* sufficientem dicit, ut Ordinarius prohibere possit, ne regularis Dei verbum prædicet.

XIII.

Atque sedulo quidem notari debet, Ordinarium jure frui, ex quacumque causa justa et rationabili prohibendi regulari, ne sacras conciones habeat, sive agatur de prædicando Dei verbo in ecclesia sui ordinis, sive in aliena ecclesia. Perspicue id rursus probatur ex laudata Clementis X constitutione *Superna;* quum Pontifex hoc jus eo ipso loco asserit Episcopis, ubi verba facit de regularibus, qui in suorum ordinum ecclesiis prædicare velint. Unde merito quidem conficitur, idem jus Ordinario multo magis competere, ubi res est de hoc munere a regularibus peragendo in aliis, quam suorum ordinum, ecclesiis.

Nec refert, utrum regularis nunc prima vice benedictionem vel licentiam prædicandi ab Ordinario petat, an jam ante ad prædicandum ab eodem Ordinario sit admissus et officium prædicationis modo exerceat. Verumtamen ut in hoc posteriore casu prohibere possit Ordinarius et regularem a jure prædicandi suspendere, necesse est, ut adsit causa rationabilis prædicationem ipsam concernens; quæ tamen causa non debet esse publica, quemadmodum conceptis verbis iterum definivit Clemens X, ubi ait : « Posse Episcopum.... licentiam prædicandi iisdem (regularibus) concessam ob rationabiles causas, licet occul-

(1) Sess. 5, cap. 2, *de Reform.*

tas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. »

Ex his pariter constat, a vero abesse illum, qui contenderet, Ordinarium non legitime posse regulari prohibere prædicationem, vel ipsum a suscepto prædicationis officio suspendere, nisi in casibus *nominatim in jure expressis.*

XIV.

Age vero, quum Clemens X decreverit, causas, ob quas Ordinarius legitime possit licentiam regulari concessam suspendere, debere prædicationem concernere, hinc reliquum est ut inquiramus, quænam hujusmodi causæ esse censeantur.

Jura causas istas *speciatim* non definiverunt; quare affirmari posse opinamur, generatim causas omnes, quæ *directe* vel *indirecte* prædicationem concernunt, hoc decreto comprehendi. Ordinarii autem est judicare, quandonam causæ ejusmodi sint, ut directe vel indirecte ad prædicationem pertineant.

Interim hoc probe notandum est, ad justam hujusmodi causam non requiri, ut regularis in aliqua re deliquerit, sed sufficere, ut causa quomodocumque ad prædicationem pertineat.

Unde, si Ordinarius regularem quemdam a prædicationis officio suspendendum esse arbitretur (nec refert, utrum ob delictum, an ob aliam causam rationabilem id faciendum esse existimet), regularis ille statim obedire et ab eo munere perfungendo prorsus abstinere debet, donec in pristinum jus denuo restituatur.

Hæc omnia ex eo fluunt principio, quod Ordinarius ob causas *etiam occultas* legitime suspendere potest regularem, et quod non tenetur obligatione communicandi causam cum ipso regulari aut cum ejusdem superiore, ut a S. Congregatione Interpretum Concilii Tridentini decla-

ratum esse referunt Pignatelli (1), Barbosa (2) et Clericatus (3).

XV.

Verumtamen Ordinario fas non est ad merum arbitrium et voluntatem suam suspendere regularem a prædicationis officio, vel solum prohibere, ne sacras habeat conciones; sed arbitrium illud debet esse moderatum et discretum. Unde, si quando contingeret, ut Ordinarius adversus regularem severius, quam par esset, in re ejusmodi procederet, regulari semper via patet ad S. Congregationem Interpretum Concilii Tridentini vel ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium recurrendi; quibus SS. Congregationibus Ordinarius, si rogetur, exponere debet rationum momenta, ob quas regularem a prædicationis officio vel suspenderit, vel ipsi prohibuerit ne eodem fungeretur. Quod si S. Congregationi constiterit, Ordinarium suæ potestatis limites in ea re transgressum esse, ac suæ agendi rationis justas causas non habere, S. Congregatio efficacia quidem remedia in promptu habebit ad injuriam regulari illatam quam citissime reparandam.

XVI.

Quod demum ad pœnas attinet, quas contrahunt regulares, qui Summorum Pontificum constitutiones aut concilii Tridentini decreta in prædicatione verbi Dei viola-

(1) *Consult. can.* tom. IV, consult. 206, num. 64, edit. cit.

(2) *De officio et potestate Episcopi*, part. III, Alleg. 76, num. 22, edit. Lugduni, 1724.

(3) *Discordiæ forenses*, tom. II, Discord. 14, num. 16, edit. Venetiis, 1734.

Digitized by Google

rent, inprimis attendi debet Leonis X constitutio *Supernæ Majestatis*, qua lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata *ipso facto* incurrenda, ac officii privatio Dei verbum prædicandi, si adversus ea, quæ ibi traduntur, præcepta agere ausi fuerint sive sæculares sive regulares.

Porro illorum præceptorum primum est, ut evangelicam veritatem et Sacram Scripturam juxta declarationem et interpretationem Doctorum, quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, legendosque hactenus recepit et inposterum recipiet, prædicent et explanent, nec quidquam ejus proprio sensui contrarium aut dissonum adjiciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius Sacræ Scripturæ verbis et præfatorum Doctorum interpretationibus rite et sane intellectis non discordant. Secundum est, ut tempus præfixum futurorum malorum, aut Antichristi adventum, aut certum diem judicii prædicare vel asserere non præsumant. Tertium, ne alia similiter futura velut specialiter sibi revelata dicant, aut alienas inanesque divinationes asseverent, aut alio quocumque modo tractandas assumant. Quartum, ut a Prælatorum aliorumque superiorum eorumque status scandalosa detractione abstineant.

De his tamen aliisque a Leone X in Lateranensi Concilio V latis pœnis advertit R. P. Carolus Antonius Thesaurus, a multis Doctoribus dici, eas non fuisse usu receptas (1).

Tridentina synodus peculiares pœnas in regulares non constituit, qui contra prohibitionem Ordinarii vel in suorum ordinum vel in alienis ecclesiis prædicarent. Hoc unum de ea re sancivit (2) : « Si vero, quod absit, prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses

(1) C. A. Thesaurus, *S. J. De pœnis ecclesiasticis praxis absoluta*, cum notis Ubaldi Giraldi a S. Cajetano, part. II, verb. *Prædicatio verbi Dei*, cap. 1, edit. Romæ, 1760.

(2) Sess. 5, cap. 2, *de Reform.*

prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat; etiamsi prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet. Quo casu Episcopus auctoritate Apostolica et tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat. »

Verum, quod synodus Tridentina facere prætermiserat, id fecit Gregorius XV, citata constitutione *Inscrutabili Dei providentia;* quia, ut ait idem Pontifex, experientia compertum erat, ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis Tridentinæ synodi de prædicatione verbi Dei, etc., aliquid adjungeretur. Hæc porro idem Gregorius XV adjunxit, ut scilicet « habeat Episcopus, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, auctoritatem coercendi ac puniendi quoscumque exemptos tam sæculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quæ suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi in supradictis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus et singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties et quando opus fuerit etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas uti ejusdem Sedis delegati procedere, omnemque jurisdictionem exercere libere et licite valeant. »

Atque hæc omnia denuo confirmavit Clemens X, constitutione *Superna*, quemadmodum ex verbis hoc § IV, num. II, prolatis perspicere licet.

XVII.

Quæ hactenus de verbi Dei prædicatione persecuti sumus, huc fere recidunt, scilicet, quibusnam in rerum adjunctis, et quibus servatis juris solemnitatibus, regulares in suorum ordinum vel alienis ecclesiis Dei verbum prædicare possint.

Digitized by Google

Atqui temporum et rerum adjuncta postulare videntur, ut inquiramus etiam, quæ sit Ordinariorum potestas ad impellendos regulares viros, ut certis diebus et horis Dei verbum prædicent. Nam id quidem in confesso est apud omnes, qui hodiernam Christi fidelium spiritualem necessitatem perspectam habent, apud multos reperiri lugendam sacrorum dogmatum et disciplinæ sanctissimæ Religionis nostræ ignorantiam. Quapropter omni modo allaborandum est, ut ingenti huic malo occurratur, et potissimum caveatur, ne illud latius serpat.

Compertum autem et indubium est, unicum et efficax hujus mali remedium esse frequentem doctrinæ christianæ expositionem et verbi Dei prædicationem.

Hæc præ cæteris quam clarissime perspecta habuerunt antistites nostri; nemo enim inter ipsos est, qui de hoc maximi momenti negotio recentissimis temporibus solemniter non egerit, et clerum suum ea qua pollet auctoritate gravibus et luculentis verbis in eam rem non commonuerit.

Sed et id unicuique perspicuum est, in plerisque oppidis, in quibus regulares erectas habent ecclesias, operam et curam Antistitum nostrorum, magna saltem ex parte, perditam esse, si regulares subsidiariam manum in hac re præstare renuerent. Quid enim fit, et quid fiet in posterum, si omnibus alicujus oppidi Christi fidelibus eadem hora, qua in ecclesiis parochialibus doctrina christiana traditur aut verbum Dei prædicatur, regularium ecclesiæ pateant, in iisque Missæ celebrentur sine Dei verbi prædicatione? Nonne ex eo accidet, ut multi Christi fideles, et illi præsertim qui doctrinæ christianæ institutione maxime indigent, ea hora qua in ecclesiis parochialibus Dei verbum prædicatur, ad regularium ecclesias se conferant, et saluberrimo hoc spirituali pabulo in æternæ suæ salutis dispendium se nutrire continuo negligant? Ita autem rem se habere quotidiana experientia docemur.

Quapropter, ut huic abusui remedium afferatur, et ut clerus regularis, quantum possit, spirituali fidelium bono

promovendo cum clero sæculari allaboret, maxime foret exoptandum, ut vel in regularium ecclesiis diebus dominicis et festis Missæ non publice celebrarentur, vel ut saltem intra Missarum solemnia etiam Dei verbum prædicaretur. Utra autem res magis expediret, scilicet ut regularium ecclesiæ dominicis et festis diebus fidelibus non paterent, vel potius ut verbum Dei prædicarent regulares eadem hora, et quoties id clero sæculari in parochialibus ecclesiis præscriptum est, multum pendet a locorum circumstantiis, idque nemo melius quam Episcopi diœcesani judicare poterit.

Certum quidem est, Ordinarios *de rigore juris* regularibus non posse præcipere, ut populo verbum Dei in suis ecclesiis prædicent, nec etiam ipsis prohibere, ne ibidem Missæ celebrentur iis horis, quibus in parochialibus ecclesiis sacræ conciones habentur; attamen si perspicuum sit, in utilitatem rei sacræ cessurum esse id quod locorum Ordinarii in hujusmodi negotiis a regularibus peterent, tunc secundum ea quæ in decursu hujus opusculi non semel indicavimus principia regulares petitionibus hujus generis obsecundare deberent. Et ubi id renuerent regulares (quod tamen ab ipsis fieri nulla ratione putamus), Ordinariorum esset, S. Sedem de ea re docere; quæ, quum in id potissimum Ordinariorum sollicitudinem semper intentam esse voluerit, ut christianus populus cœlestis doctrinæ pabulo nutriatur et Fidei rudimentis instruatur, ad doctrinæ christianæ et verbi Dei prædicationis opus impensiori cura provehendum, procul dubio auferet impedimenta, quæ eidem saluberrimo operi, atque adeo animarum saluti adversarentur (1).

(1) Cfr. Benedicti XIV constitutio *Etsi minime*. Benedicti PP. XIV *Bullarium*, tom. I, col. 93, edit. cit.

FINIS.

INDEX RERUM.

Digitized by Google

Caput III.

De sacris muneribus, quibus perfungendi jus habent regulares præsertim in suis ecclesiis legitime erectis.

FINIS INDICIS.

326331

Digitized by Google